Epitome COMPENDII THEOLOGIAE,

IACOBO HEERBRANDO, Doctore & Professore Theologiæ in Academia Tubingensi, ex illo, in vsum Tyronum, exscripta.

TVBINGAE,
Apud Georgium Gruppenbachium.

M. D. LXXXV.

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIris, pietate, eruditione, sapientia & virtutibus præstantissimis Dominis Abbatibus & Præpositis, Præsulibusq; dignissimis Monasteriorum in Ducatu Vvirtembergensi, Doctori Eberhardo Bidenbachio Bebenhusano, Iacobo Schroppio Maulbrun: Iohanni Stechero Denckendorff: Johanni Parsimonio Hirschau. Christophoro Bindero Adelbergen: Adali Vveinlin Lorchen: Martino Kleß Königsbrun: Philippo Degen Herrenalb: Alexandro Blessing Blaubeuren: Matthæo Vogel Alperspach: Heinrico Rentzio, ad S. Georgium: Zachariæ Etzel Murharten: Andreæ Eybio Anhusen: Aaroni Magno Herbertingen: Dominis, & in Ministerio Ecclesiæ & Scholis, Collegis suis honorandis,

S.

CAnit regius Propheta, & Psaltes egregius Israelis: Confitemini Domino, & prædicate nomen eius. Annunciate inter Gentes opera eius. Cantate ei,

& psallite ei, narrate omnia mirabilia eius: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, & fortitudinem eius, quærite faciem eius semper. Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigia & iudicia oris eius.

Quid ni etiam liceret nobis cum diuino Psalte, per quem Spiritus sanctus nos ad gratiarum actionem, pro summis ipsius in nos collatis beneficijs hortatur, in has Dei laudes erumpere, eiq; non tantùm pro immensa sua clementia, quam & publicè erga totam Ecclesiam, & priuatim erga singulos nos declarauit, sed etiam miranda ipsius actus penda opera, singularis bonitatis & Misericordiæ argumenta, gratis animis recolere, & hæc eadem ex intimis cordis penetralibus reperetere? Cùm non minora, nec pauciora postremis hisce temporibus, & hac delira ac senescente mundi ætate, seculiq; fecibus, in nos contulerit beneficia, quàm olim in gentem Israeliticam. Quorum tanta est tamq; ingens multitudo, vt ne tacitis quidem cogitationibus consequi, nedum verbis exprimere quis possit, quantumuis magno eloquentiæ flumine eius feratur oratio.

Vt enim de multis magnis alijs, quæ in nos

nos cumulatim confert quotidie, quibusque nos hac nostra ætate & memoria planè obruit, vel vnicum hoc commemorem: quòd Deus misericors, immensa bonitate, lucem doctrinæ cœlestis, post tot, tantos, tamque crassos, palpabiles, adeoque portentosos, Romani Antichristi errores, tenebras, scripturæque Sacræ corruptelas, denuò Ecclesiæ suæ accendit, veramque & genuinam eius sententiam, excitato Reuerendo, & insigni Heroa, D. D. Martino Luthero (cuius memoria sit in benedictione) diuinitus illustri interpretationis Scripturæ S. S. dono singulari & eximio ornato, patefecit, restituitque. Quantum hoc, quàm ingens & inenarrabile, imò planè diuinum hoc est, bone Deus, beneficium? Cuius viri sanctissimos, vtilissimosque labores, & monumenta in sacræ Scripturæ interpretatione, ita miratus est, & commendauit doctissimus, suoque tempore clarissimus vir Erasmus Roterodamus, vt licet non cum ipso faceret Luthero: plus tamen solidæ Theologiæ in vnico commentariorum eius folio, quàm in totis Scholasticorum libris esse, rectissimè iudicauerit. Hic vir Dei Lutherus ter maximus, Biblia sacrosancta, translatione sua, non tantùm expulueribus & squalore, quibus fuêre ob-

& psallite ei, narrate omnia mirabilia eius: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, & fortitudinem eius, quærite faciem eius semper. Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigia & iudicia oris eius.

Quid ni etiam liceret nobis cum diuino Psalte, per quem Spiritus sanctus nos ad gratiarum actionem, pro summis ipsius in nos collatis beneficijs hortatur, in has Dei laudes erumpere, eiq; non tantùm pro immensa sua clementia, quam & publicè erga totam Ecclesiam, & priuatim erga singulos nos declarauit, sed etiam miranda ipsius actus penda opera, singularis bonitatis & Misericordiæ argumenta, gratis animis recolere, & hæc eadem ex intimis cordis penetralibus reperere? Cùm non minora, nec pauciora postremis hisce temporibus, & hac delira ac senescente mundi ætate, seculiq; fecibus, in nos contulerit beneficia, quàm olim in gentem Israeliticam. Quorum tanta est tamq; ingens multitudo, vt ne tacitis quidem cogitationibus consequi, nedum verbis exprimere quis possit, quantumuis magno eloquentiæ flumine eius feratur oratio.

Vt enim de multis magnis alijs, quæ in nos

nos cumulatim confert quotidie, quibusque nos hac nostra ætate & memoria plane obruit, vel vnicum hoc commemorem: quòd Deus misericors, immensa bonitate, lucem doctrinæ cœlestis, post tot, tantos, tamque crassos, palpabiles, adeoque portentosos, Romani Antichristi errores, tenebras, Scripturæque Sacræ corruptelas, denuo Ecclesiæ suæ accendit, veramque & genuinam eius sententiam, excitato Reuerendo, & insigni Heroa, D. D. Martino Luthero (cuius memoria sit in benedictione) diuinitus illustri interpretationis Scripturæ S. S. dono singulari & eximio ornato, patefecit, restituitque. Quantum hoc, quàm ingens & inenarrabile, imo plane diuinum hoc est, bone Deus, beneficum? Cuius viri sanctissimos, vtilissimosque labores, & monumenta in sacræ Scripturæ interpretatione, ita miratus est, & commendauit doctissimus, suoque tempore clarissimus vir Erasmus Roterodamus, vt licet non cum ipso faceret Luthero: plus tamen solidæ Theologiæ in vnico commentariorum eius folio, quàm in totis Scholasticorum libris esse, rectissimè iudicauerit. Hic vir Dei Lutherus ter maximus, Biblia sacrosancta, translatione sua, non tantùm ex pulueribus & squalore, quibus fuêre obsita,

sita, in lucem produxit, nobis restituit, incq; Scholas, Ecclesias & Domos priuatas reuocauit: sed sua etiam interpretatione ita illustrauit, vt iam inoffenso pede a Laicis quoque legi, & intelligi possint. Cum, proh dolor, superioribus seculis, pulpita omnia, Academiæ omnes, templa omnia, in vni, uerso propemodum orbe Christiano, nil ferè nisi Aristotelem Philosophorum Principem, Platonem diuinum, aut certè Magistrum Sententiarum, Thomam Aquinatem, Scotum subtilem, Venerabilem Bedam, Sermones discipuli, Dormi secure, & id genus Scriptores alios, creparent. Prophetic orum verò Scriptorum enarrationes nullæ, de Pauli Apostoli Epistolis silentium altum: Biblia sacrosancta penè sepulta: rara certè illorum in sacris concionibus mentio. Et, vt cum Scriptura loquamur, vnico verbo dicam: Erat, vt tempore Heli summi Sacerdotis, sermo Domini rarus, nec visio manifesta. Cum Luthero autem, & per eum noua quædam lux Reip. Christianæ est exorta. Hic ad fontes Israelis nos deduxit, lucernamq; verbi Dei, traditionibus humanis, & doctrinis Dæmoniorum ab Antichristo Romano obscuratam, penéq; extinctam, instar Aharonis in tabernaculo Domini emunxit,

munxit, instaurauit, reaccendit, fouit, illustriorem reddidit, posteritatiq; propagandam tradidit. Hanc lucem sex Doctorum Pontificiorum, tenebris assueta densissimis, & plusquam Cimerijs, & quia opera eorum mala, ac Doctrina impia, in Christum, eiusq; beneficia, merita, & officia, blasphema, ferre non potest. Sicut fur ἐπ' αὐτοφώρῳ, & furto deprehensus, refugit, odit, persequitur lucem, extinctamq; cupit. Falsisq; suis interpretamentis deprauant, & corrumpunt, non secus ac olim tẽpore Isaaci, Philisthini, fontes quos Pater Abraham foderat, obstruxerunt. Nos verò gratis animis cum Psalte, lucem istam Doctrinæ cœlestis, quæ est Lucerna pedibus nostris, agnoscimus, magnificimus, prædicamus, Deoq; Patri liberatoris nostri Iesu Christi, toto pectore gratias pro ea agimus, canente: Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Zion. Quia cõfortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius. Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitia, & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Summum hoc ornamentum, verbi Dei reue-

lationem, quod in regno suo florebat, long'e Dauid Rex reliquis totius regni bonis, & felicitati, opibus, rerum abundantiæ, paci etiam, quæ optima rerum est humanarum, (vtpote quæ cum alijs regnis habeat communia) præfert, etiam auro, & topazio. Nec iniuria. In hoc enim summa est certitudo, & demonstrationibus Mathematicis long'e euidentior. In hoc Deus se, suamq; voluntatem, quæ mysteria sunt maxima, & non solùm à seculo, sed etiam à ratione humana abscondita, quæ nullus etiam acutissimi ingenij Philosophorum, nemo Principum huius mundi cognouit: sed omnes sicut oculi noctuarum ad clarissimos solis radios, ad illa cæcutiunt. Etsi enim quasdam habeant gnomas de Deo, quòd sit, & quidem sapiens, clemens, misericors, omnipotens: tamen nec quis sit, nec cur, aut quibus propitius, nouerunt. Et euanescunt sententiæ illæ de Deo conceptæ, in veris & serijs certaminibus conscientiæ, & tentationibus, vt nullam inde veram, aut firmam consolationem concipere possint homines, sed doloribus fracti, succumbant, & deperent. Quemadmodum & Pontificij Doctores, quia beneficia Mediatoris, ex verbo Dei non rectè intelligunt, nec eo sunt contenti; ad alia media & remedia,

lia, ab ociosis & ingenio confícta humano, ridícula, absurda, verbo Dei prohibita, impia, aliena, & propria, viuorum & mortuorum merita confugiunt. His omnibus freti, tantùm abest vt iuuentur, quin etiam vel hæsitantes & dubitantes, aut securi, vel desperantes, ex hac vita ærumnosa migrantes, in perpetuas miserias & tenebras sese conijciant.

In verbo autem suo, Deus Opt. Max. viam vnicam, & angustam illam, quam pauci inueniunt, ad vitam & fœlicitatem sempiternam ducentem, monstrat, vt hac incedentes, ad summam beatitudinem peruenire queamus, dicente Apostolo: Qui secundum hanc normam incedunt, pax super illos, & misericordia. In hoc eodem contra omnes animi morbos grauissimos, perturbationes summas, in quibus omnia deficiunt humana præsidia & auxilia, contra mortem denique ipsam, cuius vel sola recordatione, aut mentione, fortissimorum alias virorum animi langueſcunt & concidunt, remedia continentur saluberrima, efficacissimaque, vt magno & infracto animo hæc adeantur pericula, & mala omnia vincantur. Commendat alibi Cicero humanitatis studia, quòd omnium sint temporum, ætatum atque

locorum, quòd adoleſcentiam alant, ſenectutem oblectent, ſecundas res ornent, aduerſis perfugium ac ſolatium præbeant, &c. Sed quantò præſtant hæc noſtra Theologiæ ſtudia: quæ nec in morte quidem nos deſerunt. Sed tunc vel maximè ex his, tanquam Pharmacopolio animæ inſtructiſsimo, remedia efficaciſsima contra vim mortis, (vbi nulla creſcit herba in hortis) non tantùm corporalis, ſed etiam animæ ſempiternam, petuntur, & ſubminiſtrantur.

Nos itaq; gratis animis ingens hoc, imò ſummum Dei beneficium reuelati verbi diuini, & inſtauratæ doctrinæ cœleſtis ſyncerè agnoſcamus, prædicemus, lætiq; eo perfruamur, vt firmam inde hauriamus in omnibus præſentis, vitæ ærumnis, & etiam mortis inſtantis tentationibus & periculis conſolationem, qua freti, omnibus malis & moleſtijs ſuperatis, felices in beata illa futura vita perpetuò triumphemus.

Verùm nec alia ſilentio nobis prætereunda ſunt Dei beneficia, quæ hoc noſtro ſeculo Deus miſericors gratuita ſua clementia & bonitate in Eccleſiam ſuam contulit. Prolixum autem nimis foret ſingula percenſendo, copioſa explicare oratione: Ideoq; præcipua tantùm quædam commemorare breuiter libet.

Non

Non solùm enim Religionis synceræ doctrinam præpotens Deus, pro sua erga afflictissimam Ecclesiam clementia reparauit: verùm etiam pro sua immensa bonitate, & misericordia singulari, contra furores Diabolorum, & totius mundi potentiam, tyrannidem, odia potentum, persecutiones sæuissimas, a Diaboli flabellis (Esauitas illos dico crudelissimos, sanguisugas, serpentes callidissimos, Iesu Christi, quem nomine profitentur, ac mentiuntur, hostes infensissimos) excitatas, mirabiliter hactenus, præsidijs & viribus humanis, nos Cõfessores eius destitutos, conseruauit.

Adhæc, pios Principes & Magistratus passim in politijs honestis excitauit, qui non politica tantùm iustè administrant, sed etiam curam Ecclesiarum, rectè ad se pertinere iudicant. Quod Spiritus sanctus iam olim per Isaiam Prophetam, de tempore, & Ecclesia noui Testamenti est vaticinatus, in hæc verba scribens: Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices: qui suis officijs & liberalitate fouent, iuuant, & promouent studia docentium, & discentium veram & synceram Religionis doctrinam. Et vt hæc sub illis floreat, non hospitia tantùm præbent, sed etiam ludos literarios aperiunt, in

quibus

quibus liberalia ingenia studijs honestis, artibus, disciplina & pietate erudiuntur, excoluntur, & præparantur, vt postea cum dignitate, & magno fructu Ecclesijs, & Rebusp. præficiantur, fœliciterq; eas gubernent.

Hæc maxima sunt imperiorum huius mundi ornamenta, &, vt etiam dicuntur, Reip. & Ecclesiæ Christianæ seminaria, quorum opera Deus vtitur in propaganda veritate diuina, illustranda doctrina cœlesti, & procuranda hominum salute. Hæc studia pacis sunt, quibus Deus propitius etiam hospitia honesta, & halcyonia sub vmbra alarum illorum concedit.

Hæc, vt alia taceamus quàmplurima, mirabilia sunt Dei opera, quæ meritò sunt magnificienda, hilari animo prædicanda, Deoque Patri cœlesti pro illis toto corde gratiæ sunt agendæ publicè.

Quodq; mea qualicunq;, tenui certè opera, magnus ille Paterfamilias, hactenus vti voluit, viresq; ingenij, & corporis robur hucusque confirmauit, vt labores studiorum iam in ingraueſcente etiam ætate ferre possim, meoq; loco ipsius seruire laudi, & aliorum studia pro mea virili iuuare ac promouere: quid Domino Deo meo reddam

pro

pro omnibus illis, quæ in me contulit beneficijs? Quo nam modo dignas illi possum persoluere grates? Laudabo Dominum Deum meum in vita mea: Psallam nomini eius quandiu fuero. Libet enim iterum cum Psalte canere: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, psallam tibi gloria mea. Exurge Psalterium & Cythara, exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus. Quia magna est super cœlos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua. Huius Patris misericordiarum, & Dei omnis consolationis laudi, omnia nostra seruiant studia. Ad hoc enim conditi sumus, redempti, & vocati in admirabile lumen hoc, vt ipsum agnoscamus, virtutes eius enarremus, eumq; celebremus cum sanctis Angelis, & in hac præsenti, & futura glorioſa vita.

Hoc consilio ante annos nouem, æditum est à me, in vsum Studiosorum, Theologiæ Compendium, quo locos Scripturæ S. communes præcipuos, Methodi quæstionibus sum complexus. Id cùm magno multorum applausu passim esset exceptum, diuersisque locis sub incudem subinde reuocaretur: vt gratum me, mutuamq; declararem benevolentiam, laborem suscepi in illorum gratiam, qui fundamenta ista perceperant, absolutius quiddam adornandi, aucto illo, quàm-

plurimis

plurimis materijs passim additis. Quem meum laborem, Domino dante incrementum, multis non ingratum esse sensi.

Iam, ita volentibus Superioribus, ad infimos & incipientes in Scholis nostris, quorum studia quoque, quantum in me quidem erit, iuuare cupio, primis tantum propositis Theologiæ principijs, & elementis, pro tyronibus Sacrosanctæ Theologiæ descendam. Vbi tamen prorsus nihil noui affero: sed ex Aucto illo Compendio definitiones, diuisiones, & quæ pro incipientibus necessaria esse, & sufficere visa sunt, retentis ijsdem etiam, & prorsus nihil immutatis verbis, tantùm exscripsi, ne opus sit postea, quæ magno labore didicerunt, vbi ad Auctum accedere voluerint Compendium, rursus cum molestia, & tædio dediscere.

Eum planè ad modum, quo Grammatices præcepta, ordine in Scholis nostris traduntur, vbi pro captu ætatis, ingeniorum & profectu puerorum, inq; vsum ipsorum, secundum Classes, primùm Elementa quædam pauca, & Regulæ generales contractæ, ipsis in secunda Classe discendæ proponuntur.

tur. Deinde verò vbi nonnihil profecerunt, perceptis istis primis Elementis, plura pro tertia adduntur præcepta & quarta Classe, cum exceptionibus, quasi Grammatices totius Compendium. Postremò, vbi hæc addidicerunt adolescentes, absolutum opus Grammatices Philippi discendum proponitur: in quo ista etiam omnia, quæ antea ordine didicerunt, continentur, vt non frustra illa didicerint, nec labor hactenus impensus, illis pereat, nec quicquam etiam dediscendum: sed hinc à primis elementis paulatim progrediuntur, semper magis magisq; plura addiscentes: donec totam artem (quantum quidem fieri pro ingenio singulorum potest) perdidicerunt, vt boni & docti euadant Grammatici.

Ex Compendio enim aucto hanc excerpsi Epitomen, in qua locos quosdam difficiliores, vtpote de Contingentia, & Necessitate, de Peccato in Spiritum sanctum, de Origine animæ, de Prædestinatione, quod de ijs coram Tyronibus non videatur disputandum, (cùm lacte magis illis sit opus, quàm solido cibo) de industria omisi: quippe quibus magis tenera ingenia, eorumq; studia impediantur, quàm iuuentur & promoueantur, ideoq; non grauandos ijs esse iudicaui.

Quæ,

Quæstiones etiam quamplurimas, quæ in prima Compendij æditione, sicut & secunda copiosiore illa, & aucto extant, omisi: partim quòd Disputationes contineant, cùm prima tantùm principia proponere animus sit: partim, ne magnitudine Libelli, & Quæstionum multitudine incipientes deterreantur. Quædam etiam Interpreti relinquenda fuêre. Qui verò prolixiorem desiderant & requirunt informationem, pluraq; cognoscere cupiunt, petere ea ex Aucto Compendio possunt.

Quòd autem, Reuerendi viri, pietate, eruditione, sapientia, & virtute præstantes, vestris nominibus Epitomen hanc Theologiæ inscribere volui; minimè hoc à me consilio id factum est, quòd putem vobis, puerilibus istis Quæstionibus, quibus balbutire cum tyronibus nostris volui, esse opus. Cùm per gratiam Dei ex fundamentis Scripturæ sacræ, & lectione assidua optimorum Librorum, qui Dei beneficio, hoc seculo fœlici, passim extant plurimi, Theologiam probè, a puero ferè didiceritis, in ea sitis enutriti, exercitati, & præclarè de ea differere publicè pro cõcione & alijs in congressibus possitis (quod non inter postrema huius Ducatus ornamenta summa, quibus Dei beneficio abundat, re, putandum est:) Sed ad declarandum & com-

proban-

probandum consensum nostrum in doctri-
na: quod non aliud vos in vestris Scholis &
Ecclesijs, aliud vero nos hic publicè in Aca-
demia, & Ecclesia nostra doceamus: animo-
rumq; cõiunctionem summam. Quæ, quan-
tum Dei sit beneficium, quàm salutare Eccle-
sijs, quàm dulcis harmonia, Spiritus sanctus
dulcissimis verborum luminibus, pulcherri-
misq; figuris & similitudinibus, iã olim decã
navit: Ecce quàm bonũ & quàm iucundũ, fra-
tres habitare in vnum, sicut vnguentum, &
quæ sequuntur in Psalmo illo notissimo.

Et quia Epitomen hanc, ex nupera reui-
sione Ordinationis Ecclesiasticæ illustrissimi
nostri Principis, vestris alumnis, qui & in
linguis, & artibus liberalibus, & in studio
Theologiæ in vestris Cœnobijs fideliter eru-
diuntur & instituuntur, proponeris. Quẽad-
modum & in Stipendio Celsitudinis suæ hic
inobis idem vult fieri. Sicut Ordinationi il-
li lectio & interpretatio eius in Stipendio,
ut inserta, & mandata nobis Superintenden-
tibus. Spero itaq; vobis me rem non ingra-
tam feciſſe, Epitome ista, ex Cõpendio, quod
hactenus vestris proposuistis, excerpta, ve-
strocq; nomini clarissimo, vt hinc plus illi ac-
crederet authoritatis, consecrata.

Deum Patrem liberatoris nostri Iesu Chri-
sti, cum Spiritu S. toto pectore oro, vt cõ-
sensum hunc nostrum pulcherrimum, sanctis-

)( )(simum,

mumq́, nobis velit esse perpetuum, nec concedat, vt genius quispiam malus eum nobis perturbet, Vosq́ clarissima lumina Ecclesiæ, quàm diutissimè ad nominis sui gloriam illustrandã, Ecclesiæ ædificationem, vestram, multorumq́ salutem, saluos & incolumes conseruet. Et sanctum hoc laudatissimumq́ Illustrissimorum nostrorum Principum institutum, quo in pristinũ statum, postliminio quasi, Cænobia vestra sunt restituta, quàm diutissimè, ac perpetuò in flore, & vigore hoc, propitius tueatur, vt sint & maneant, quod dicuntur, Seminaria Ecclesiæ ad omnẽ posteritatem. Nec, vt antea factum est, vel degenerẽt in officinas impietatis, & superstitionis ac stabula ociosorum & ignauorum hominum, qui ventri tantũ seruierunt, inutilia terræ pondera: vel alia quadam calamitate euertantur. Odit enim Satan, hostis Dei, & generis humani, inprimis autem Ecclesiæ, Scholas rectè constitutas, in quibus vera floret Religio. Scripsi Tubingæ ipso die D. Ioanni Baptistæ sacro, qui repurgator fuit Ecclesiæ, doctrinæ, & Religionis, à Põtificibus, Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis in populo Dei corruptæ & deprauatæ: Quemadmodum hoc nostro seculo, organum illud Dei salutare D. Luth. nũquam satis laudatus, sempiternaq́ memoria dignus. Anno, &c. 82.

Iacobus Heerbrand D.

COLLEGIVM STVDII THEOLOGI-ci, in Academia Tubingensi, Lectori S.

INdustriam Antiquitatis, Plinius & Cicero mirantur, potuisse totam Homeri Iliada, membranis inscriptam, in nucem includi.

Long'e autem maior laus, & ingenij, & industriæ, ei debetur, qui Biblia sacra compendio proponit.

Quanquam enim in Poematis Homericis, hinc inde quædam γνώμαι sparsæ sunt: quas gentiles, velut iniqui possessores, à verè docta Antiquitate, hoc est, Patribus, mutuati sunt: tamen maior pars, fabulis, & ijs quidem impijs, consumitur.

Neque enim ignotum est, quæ & quàm nefanda vitia, Poetæ suis Dijs tribuerint.

Sacræ autem literæ, veluti pelagus quoddam sunt, rerum præstantissimarum: quæ tam amplæ sunt, vt ne hic quidem Mundus eas capere possit: tam ad vlum rerum humanarum accommodatæ, vt omnis nobis vita nostra, acerba videri debeat, si ijs carueremus: tam porro suaues & iucundæ, vt ex ijs vel solis, veræ consolationes peti possint.

mumq́, nobis velit esse perpetuum, nec concedat, vt genius quispiam malus eum nobis perturbet, Vosq́ clarissima lumina Ecclesiæ, quàm diutissimè ad nominis sui gloriam illustrandã, Ecclesiæ ædificationem, vestram, multorumq́ salutem, saluos & incolumes conseruet. Et sanctum hoc laudatissimumq́ Illustrissimorum nostrorum Principum institutum, quo in pristinũ statum, postliminio quasi, Cænobia vestra sunt restituta, quàm diutissimè, ac perpetuò in flore, & vigore hoc, propitius tueatur, vt sint & maneant, quod dicuntur, Seminaria Ecclesiæ ad omnẽ posteritatem. Nec, vt antea factum est, vel degenerẽt in officinas impietatis, & superstitionis ac stabula ociosorum & ignauorum hominum, qui ventri tantũ seruierunt, inutilia terræ pondera: vel alia quadam calamitate euertantur. Odit enim Satan, hostis Dei, & generis humani, inprimis autem Ecclesiæ, Scholas rectè constitutas, in quibus vera floret Religio. Scripsi Tubingæ ipso die D. Ioanni Baptistæ sacro, qui repurgator fuit Ecclesiæ, doctrinæ, & Religionis, à Põtificibus, Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis in populo Dei corruptæ & deprauatæ: Quemadmodum hoc nostro seculo, organum illud Dei salutare D. Luth. nũquam satis laudatus, sempiternaq́ memoria dignus. Anno, &c. 82.

Iacobus Heerbrand D.

COLLEGIVM STVDII THEOLOGI-ci, in Academia Tubingensi, Lectori S.

INdustriam Antiquitatis, Plinius & Cicero mirantur, potuisse totam Homeri Iliada, membranis inscriptam, in nucem includi.

Long'e autem maior laus, & ingenij, & industriæ, ei debetur, qui Biblia sacra compendio proponit.

Quanquam enim in Poematis Homericis, hinc inde quædam γνώμαι sparsæ sunt: quas gentiles, velut iniqui possessores, à verè docta Antiquitate, hoc est, Patribus, mutuati sunt: tamen maior pars, fabulis, & ijs quidem impijs, consumitur.

Neque enim ignotum est, quæ & quàm execranda vitia, Poetæ suis Dijs tribuerint.

Sacræ autem literæ, veluti pelagus quoddam sunt, rerum præstantissimarum: quæ tam amplæ sunt, vt ne hic quidem Mundus eas capere possit: tam ad vlum rerum humanarum accommodatæ, vt omnis nobis vita nostra, acerba videri debeat, si ijs carueremus: tam porro suaues & iucundæ, vt ex ijs vel solis, veræ consolationes peti possint.

Qui itaq; istas ad benè beatéq; viuendum delicias, in Enchiridion contraxerit: annon is vicisse omne veterũ studiũ iudicandus sit? Et quidem sanè, in ijs, quæ artificiosè ab illis fiebant, præter famam ingenij, & admirationem, nihil quærebatur.

Labores autem doctissimorum virorum, qui in docta illa breuitate elaborant: maiorem opinione omnium Studiosis Theologiæ vtilitatem afferunt.

Quanquam enim ne illorum quidem studium, damnandum sit, qui prolixioribus Commentarijs, sacros Libros interpretantur: tamen, cùm breuitatem semper nescio quis fauor comitetur, magnum faciunt operæ precium, qui capita doctrinæ Christianæ compendio tractant.

Incredibile autem est, quantam ea res difficultatem habeat, ex tanto cumulo optimarũ rerum, delectum facere: & quidem eum, qui breuitatis fines non excedat. Ridiculum enim est, cùm titulus Compendium polliceatur, pro Enchiridio exhiberi volumen.

Nemini præterea docto obscurum est, quanti artificij sit, res alioquin inuolutas, & quasi ab intelligentia nostra remotas, (quales sunt illæ spirituales) definiendo aperire, testimonijs Scripturæ idoneis & aptis (ne ἀπροσδιόνυσα citentur) illustrare & confirmare:

re: ea quæ ſpeciem habent ἀντινομίας, nciliare: Hæreticorum & fanaticorum ρόφας, breui & luculenta reſponſione diſ- luere: denique tot & tantas res vtiliter ad ethodi rationes, & eas quidem accuratas, igere. Nam qui modum illum non ſeque- r, aut obſcuritatibus, dum breuitati ſtudet, ipſum & alios inuolet, aut prolixitate mo- ſtiam creabit Lectori.

Præclarè ergo de Eccleſia & Scholis mere- r clariſsimus & doctiſsimus Theologus, llega noſter honorandus, D. D. Iacobus eerbrandus, qui pro ſua excellenti doctri- a, non ſolùm in hac celebri Academia ſa- as literas luculenter, & cum admiratione ofitetur: verùm etiam, vt alios quamplu- mos iuuaret, ſingulari induſtria, fundamen- a doctrinæ Chriſtianæ hoc libello accuratè, breuiter complexus eſt. Et quidem tanta elicitate eo in genere eſt verſatus, vt ado- ſcentes quaſi in tabella omnes diſputatio- es Theologicas, familiari quodam genere ocendi, quo docti ſemper delectati ſunt, opoſitas habeant: multa ex obſcuritatibus oluta, locis Scripturæ pulchrè illuſtrata, & quod in ſumma laude meritò ponendum eſt, in tanta breuitate, ad abſolutam docendi ra- tionem tradita, videant.

Huic & studio, & industriæ, accedit pulcherrimus ille consensus, quem Author cum verè Orthodoxa & Catholica Ecclesia, Confessione Augustana & Vvirtenbergensi, & pijs Doctoribus omnibus habet, ac ad omnem posteritatem testatum relinquere voluit.

Deum Opt. Max. oramus toto animo, vt & hunc Doctorem, Collegam nostrum, & omnes Ministros, veræ pacis & tranquillitatis amantes, ad solatium senescentis & afflictæ Ecclesiæ, quàm diutissimè conseruet incolumes. Reliquorum autem animos, qui vel errore, vel animi perturbatione, à salutaribus consilijs abhorrent, sancto Spiritu suo regat, & gubernet: vt potius Christo, quàm turbidis animi motibus, malisq; illis consultoribus, parêre velint. Benè & feliciter vale.

INDEX LOCORVM, IN HAC *Epitome contentorum.*

De Sacrosancta Scriptura	fol. 1
De Deo	7
De Trinitate	11
De discrimine Personarum Trinitatis	15
De Christo	19
De Vnione personali	24
De communicatione Idiomatum	28

De

De Spiritu sancto	32
De Voluntate Dei	36
De Creatione 2. De fleshmoc. 2	37
De Angelis 3	42
De Diabolis 4	49
De Imagine Dei in homine 5. De hoc. 5.	53
De Prouidentia Dei 6	56
De Libero arbitrio, seu viribus humanis	61
De Peccato 7. De ghingentia. 7. De necessitate 8.	73
De Lege 9	88
De Euangelio 10	100
De discrimine Legis & Euangelij 10	106
De Gratia 11	109
De Fide 12	113
De Iustificatione 14	120
De bonis operibus 15	137
De Pœnitentia 12	144
De Ministerio Ecclesiastico 16	156
De Sacramentis noui Testamenti 13	165
De Baptismo 13	176
De Cœna Domini 13	191
De Sacrificijs 17	209
De Veteri & Nouo Testamento vtriusque discrimine	218
De Ecclesia 18	225
De Clauibus Ecclesiæ 19	235
De Miraculis	242
De Libertate Christiana	249
De Scandalo	253
De Cruce, seu afflictionibus piorum	258

De Precatione 264
De Magistratu 276
De Coniugio 283
De Antichristo 290
De Morte 294
De Sepultura 299
De Statu Animarum 302
De Consummatione siue fine seculi 307
De Mortuorum Resurrectione 312
De Extremo Iudicio 320
De Inferno 325
De vita æterna 330

EPITOME COMPENDII THEOLOGIÆ

De Sacrosancta Scriptura.

Cur à Scriptura S. incipiendum Theologiæ Compendium?

RESPONSIO. Quia commune est & irrefragabile principium, origo & fundamentum totius Theologiæ, de quo à nemine dubitatur, qui Christianam profitetur Religionem.

Vnde sic dicitur scriptura sacra?

Propter excellentiam: quia immediatè à Spiritu sancto est profecta. Iuxta illud: Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1.

Quid est sacra scriptura?

Qua certis Prophetarum, Apostolorum & Euangelistarum libris constat, qui Bi-

blici dicuntur, & Biblia, à volumine, in quo descripti extant. Et Canonici: vnde & Canonica Scriptura.

Quare Canonica Scriptura nominatur?

Quia Canon est, hoc est, Regula, vel linea, amussis ac norma doctrinæ, ad quam omnia dogmata & scripta sunt examinãda: cũ quæ congruunt, recipienda & amplectenda, pugnantia verò, tanquam adulterina, reprobanda sunt, & damnanda.

Vnde libri & scripta Canonica suam habent authoritatem?

Respondeo. Principaliter à Deo authore suo, quòd videlicet diuinitus sint inspirati, & cœlestibus miraculis confirmati, Christi & Apostolorum authoritate constabiliti, atque certis, firmis & immotis testimonijs eorũ, qui ab initio fuerunt αὐτόπται, & pars aliqua eorum, quæ scribebant, corroborati.

An ne ab Ecclesia non habent authoritatem?

Habent, sed vt à teste. Cùm enim scriberentur sacri isti libri Canonici, publica testificatione traditi & commendati sunt Ecclesiæ

clesiæ ab illis ipsis scriptoribus : sicut de Mo- Deut, 31.
si & aliorum libris habetur.

Aliane & plura Apostoli viua voce Ecclesiæ tradiderunt, quàm scripserunt, ad salutem necessaria?

Hoc non Apostolorum, sed Apostatarum esset. Eadem autem docuisse vel tradidisse viuacem, & scriptis comprehendisse, ipsimet locupletissimi *sunt testes. Ioannes Apostolus* 1. Ioan. 1.
& Euangelista inquit: Quod audiuimus & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis: ET HÆC SCRIBIMVS VOBIS, *vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.*

Fieri quidem potuit, quòd ritus & cere- indifferentes
monias quasdam tradiderint Ecclesijs: sed cu-
iusmodi illæ fuerint, quis docebit? Et si maxime certò de illis constaret, indifferentes tamen sunt sua natura, ac pro loci, temporũ, & personarum ratione variant.

Quis est author Scripturæ sacræ?

Deus, qui per Spiritum sanctum, suam de salute humani generis per filium incarnatum, voluntatem patefecit, & dictauit Prophetis, Apostolis, & Euangelistis. Hinc etiam suam habent authoritatem & dignitatẽ.

Quæ sunt Argumenta, quibus certitudo Sacrosanctæ Scripturæ Canonicæ probatur?

Plurima sunt, quorum quædam recitabimus. Primum sumitur ab autheritate & patefactione diuina. Vnde passim additur: Dixit Dominus: Locutus est Dominus: Os Domini locutum est: Item: Audite verbum Domini.

Secundum, à miraculis, quæ propria sunt diuinæ & omnipotentis naturæ, quibus est confirmata. Qualia sunt: Resuscitatio mor-
Ios. 10. *tuorum: mutatio rerum naturæ: solis statio*
2. Reg. 20. *per integrum diem. Item: retrogradum fa-*
Exod. 14. *cere solem. Diuisio aquarum, & quòd instar murorum assurgunt, ac tutũ prabent transi-*
Gen. 21. *tum Israelitis. Fœcundatio sterilium & effœtarum annuum. Partus virginis: & similia alia.*

Tertium, ab antiquitate. Quia hoc doctrinæ genus, & hæc Scriptura omnium prima est. Verissimum autem, quod primum, rectè Tertullianus dixit.

Quartum, à certitudine oraculorum & vaticiniorum, quibus euentus exactissimè respondit, eorumq; veritatem comprobauit.

Quin-

Quintum, ab ipso doctrinæ genere, quod patefacit arcana, & ignota rationi humanæ.

Sextum, à consensu & perpetuitate huius doctrinæ, quòd sibi vbiq; constat, estq; pulcherrima veteris & noui Testamenti, Prophetarum & Apostolorum harmonia, ac fidei analogia.

Septimum, à miranda Ecclesiæ, quæ custos est horum scriptorum, conseruatione, sine præsidijs, auxilijs, & viribus humanis.

Octauum, à multitudine testium, qui suo sanguine eam confirmarunt, Martyres & Confessores innumerabiles.

Nonũ, ab vniuersali experientia omnium piorum, in inuocatione, tentationibus grauissimis de ira Dei, & exercitijs spiritualibus pœnitentiæ, qui in hac doctrina semper acquieuerunt, ac veram inde in vita ac morte consolationem perceperunt.

Est'ne Scriptura sacra perfecta, & ad salutem sufficiens?

Asserit Apostolus Paulus, Scripturas sacras instituere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Et idem ibidem: Scripturam omnẽ diuinitus inspiratã, PERFECTVM reddere Dei hominẽ, ad omne opus bonum instructum. Quòd si perfectũ ipsæ reddunt Dei 2. Tim. 3.

hominem: ergo ipsas perfectas esse necesse est.

Quæ est vtilitas scripturæ?

Multiplex est, sicut recenset Apostolus:

Rom.15. *Quæcunq; scripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Et*

2.Tim.3. *idem alibi: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad correctionẽ, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonũ paratus.*

Est ne obscura Scriptura?

Sententia Scripturæ est manifesta, præsertim Christo exhibito, omnib. verè in ipsum credentibus, iuxta promissionem Domini per

Ier.31. *Ieremiam: Omnes me cognoscent, à minimo vsq; ad maximum. Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

Vnde Religionis controuersiæ diudicandæ?

Ex eadẽ Scriptura sacra, Christus.n. cum Pharisæis de Religionis Articulis agens, ex Scriptura semper respondet, eosq; conuincit, dicens Non legistis? Sic scriptũ est: Quomodo scriptum est in Lege? Quomodo legis? &c.

Quis est scopus Theologiæ, & totius sactæ Scripturæ?

CHRI-

CHRISTVS, Dei & hominis Filius, ex Maria virgine natus, crucifixus, passus, & mortuus propter peccata nostra, qui & resurrexit propter iustificationem nostram. Rom. 4.

Quod est subiectum Theologiæ?

Homo peccator, coram Deo per fidem in Christum iustificandus. Propter hunc omnia scripta sunt, & à Christo omnia facta, quæcunq; fecit & passus est, vt salutem æternam, per & propter ipsum, consequamur.

Quot sunt principales doctrinæ Theologicæ partes?

Duæ. Quæ? Lex & Euangelium, quæ Christus summatim complexus est, ab effectu describens, cùm ablegaret Apostolos suos, data instructione de officio ipsorum, & doctrina, dicens: Oportet prædicari in nomine eius (Christi) pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes. Luc. vlt.

Quis est præcipuus locus in tota Theologia?

De Deo, eiusq; notitia. In qua consistit vita æterna, teste Christo: Hæc est vita æterna, vt agnoscãt te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ioan. 17.

De Deo.

Quibus modis probatur esse Deum?

Duobus. Primùm, ex libro Naturæ. Secundò ex libro Scripturæ.

Quid est liber Naturæ?

Est totum hoc vniuersum: Mundus nempe, & omnia, quæ in eo sunt. Opus enim commendat artificem. Item: Effectus non potest esse sine causa, nec à seipso. Ergo hic mundus est aliunde. Non autem ex fortuito atomorũ concursu, nec temerè, aut casu, sed à conditore sapiente & omnipotente est factus.

Rom. 1. Act. 14. 17.

Quid est liber Scripturæ?

Est Scriptura Sacrosancta, & dicitur Biblia, ab excellentia horum scriptorum, quorum author est Spiritus sanctus immediatus, à quo inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

2. Pet. 1.

Quomodo testatur Scriptura esse Deum?

Euidentissima sunt illius testimonia, quæ sunt demonstrationes Mathematicis multò certiores. Genes. 1. multoties scribitur: Dixit Deus: Fecit Deus: Vidit Deus. Idipsum subinde à Mose alibi repetitur, similiter & à Prophetis. Ergo est Deus.

Quæ requiruntur ad verã Dei agnitionem?

Duo. Primùm. Essentiæ cognitio, quid & quis sit Deus. Secundò, Voluntatis ipsius erga genus humanum. Quæ duo qui nouit &

cre-

credit, nouit & videt Deum, in quantum cognosci & videri potest in hac vita: donec in altera beata vita eum à facie ad faciem videamus, & non amplius in speculo & aenigmate. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13.

Quid est Deus?

Est Essentia spiritualis, aeterna, sapiens, omnipotens, iusta, &c. quae est Deus aeternus Pater, qui ex sua substantia genuit filium aeternum, consubstantialem, imaginem sui: & Filius, ab aeterno à patre genitus, χαρακτὴρ καὶ ἀπαύγασμα Patris: Et Spiritus sanctus, ab vtroq; procedens. Vel vno verbo: Deus est Trinitas, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Proba, vnum esse Deum.

Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus Vnus est. Malach. 2. Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quia vnus est Deus, & non est alius, praeter eum. Deut 6. Marc. 12. Marc. 12.

Cur igitur Scriptura sacra vtitur plurali numero, Elohim, id est, Dij?

Non, vt plures esse Deos asserat: sed propter personarum pluralitatem in vna essen-

tia diuina. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Sed non est alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus sanctus. Nec etiam aliud, id est, alterius essentiæ: sed idem Deus. Verùm, alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Et hæ tres simul personæ, vnus ille verus & æternus Deus Omnipotens.

Qui sunt effectus Dei?

Sunt omnia opera Dei, quæ ipsi sacra Scriptura tribuit. Sunt autem plurima, imò innumera: Bonitatis, Gratiæ, Omnipotentiæ, Iustitiæ, & Seueritatis, &c. præcipuè verò creationis, redemptionis, iustificationis, sanctificationis & saluationis.

Quæ sunt contraria?

Epicureismus, cùm negatur, esse Deum.
Psal. 14. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Hæreseis & impietates, plurimos comminiscentium Deos, vt Valentinianorum &c. Idololatria gentium multiplex, innumeram Deorum turbam introducens. Negare, Deum curare & administrare res humanas.*

De

De Trinitate.

Quot sunt personæ vnius Essentiæ diuinæ?

TRes. Quæ? *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et hæ tres personæ sunt vnus ille verus Deus, hoc est, vna illa essentia diuina.* Μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις.

Dic testimonia scripturæ, quibus probatur Trinitas in vna essentia Deitatis?

In principio creauit Dij (Elohim) cœlum & terram. Verbum est singularis numeri, CREAVIT, ad denotandam vnitatem essentiæ diuinæ. Nomen, Dij, non plures Deos, cùm vnus tantùm sit Deus, sed plures personas in illa vna essentia diuina esse significat. Ibidem: Dixit Dij: Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem NOSTRAM. Eodem in loco scribitur: Et spiritus Deorum (Dei) incubabat aquis. Gen. 1.

Et cap. 19. eiusdem libri: Pluit Dominus à Domino sulphur & ignem de cœlo, super Sodomam & Gomorrham.

Sed

Sed illustriora sunt testimonia de Trinitate, in nouo Testamento, cui tanti mysterij reuelatio clarior reseruabatur.

Recita quædam ex nouo Testamento?

Ioan. 16. *Rogabo Patrem meum (inquit Christus, Dei & hominis filius) & ALIVM paracletum dabit vobis. Item: Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre. Trium fit mentio. 1. Christus loquitur. Loquitur autem, 2. de Patre, de promittit, 3. Alium paracletum, Spiritum veritatis. In Baptismo Christi, 1. Vox Patris de cœlo auditur, clamantis de Filio: Hic est Filius meus dilectus. 2. Filius astat, incarnatus, & in Iordane à Ioanne baptizatur. 3. Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, & super Christum requiescit.*

Matth. 3.

Ioan. 1.

Matth. 17. Luc. 9. *Similiter & in clarificatione Christi tres illæ personæ distinctæ apparuerunt.*

Item in institutione Baptismi à Christo facta, & formula vsitata: Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Recte ne vtimur vocabulo Trinitatis, cùm in Scriptura sacra non reperiatur?

Fieri quidem potest, quòd Ecclesia multis vta-

tis vtatur vocabulis, quæ his ipsis literis & syllabis non ita scripta reperiuntur. Sed cùm res ipsa his literarum notis significata, ibidem contineatur: vtamur ea libertate, quam Deus nobis concessit. Sic igitur tres personas diuinæ essentiæ, Trinitatem vocamus.

Licuit, inquit Augustinus, loquendi & disputandi necessitate, tres personas dicere: non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit. Vt aliquo modo, cùm queritur, quid tres? respondendo, persona, intelligatur, quid sit.

Quid est Persona?

In sacra Scriptura, quando de Trinitate loquitur, persona est substantia individua, intelligens, verè & per se subsistens, distincta ab aliis, non communicabilis, & quæ non sustentatur seu conseruatur in alio.

Quid est Deus Pater?

Est ordine prima persona diuinitatis, æterna, immensa, ingenita, & à nemine sed à seipsa existens, quæ genuit filium coæternum, consubstantialem sibi, à qua, & Filio, Spiritus sanctus procedit, per quem, & in quo creauit & conseruat omnia.

Quare

Quare dicitur Pater?

Primùm, ratione filij coæterni, ab ipso ab æterno geniti. Vnde Pater Domini nostri Iesu Christi à Paulo dicitur.

Mal. 2. *Secundò, ratione creationis & sustentationis hominis. Nunquid non pater vnus omnium nostrûm? Nunquid non Deus vnus creauit nos.*

Tertiò, propter regenerationem & adoptionem nostri in filios. Ioan. 1. Dedit illis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt.

Psal. 103. *Quartò, propter affectum, quem plus quàm paternum erga nos gerit. Sicut pater miseretur filiorum, ita misertus est Deus nostri.*

Dic testimonia de Patre?

Psal. 2. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c.

Quid est Filius?

Est ordine secunda persona diuinitatis, à Patre ab æterno genita, consubstantialis, & coæterna patri, qua suo tempore ex Maria vir-

virgine humanam naturam assumpsit, & Christus mediator factus est.

Testimonia de filio, eiusq; duabus naturis, infrà recitabuntur.

Quid est Spiritus sanctus?

Est ordine tertia persona diuinitatis, coëssentialis Patri & Filio, ab utroq; ab aeterno procedens, regenerans & sanctificans, ac regens homines per verbi ministerium, ut saluentur.

De hoc quoq; infrà testimonia recensebuntur, in loco, de Spiritu sancto.

De discrimine personarum Trinitatis.

Quemodo discernuntur personæ Trinitatis?

Proprietates sunt personarum, quibus discernuntur & distinguuntur, non autem separantur, Trinitatis personæ.

Quotuplex est discrimen personarum?

Duplex: Intrinsecum, & Extrinsecum.

Quid est Intrinsecum?

Quod est in ipsa Essentia diuina, eiusq; personis.

Quo-

Quomodo intrinsecus discernuntur?

A proprietate interna & personali. Patris proprietas est, quòd à nullo alio est, nec factus est, nec creatus, nec genitus: sed à seipso, fons, origo, & principium, non tamen temporale, hoc est, quòd tempore præcedat reliquas personas.

Quæ est proprietas Filij, qua à Patre, & Spiritu sancto, discernitur?

Filius distincta est persona à Patre, non Essentia: hæc enim una est & eadem utriusque, nec diuinitate, quia unus est & idem Deus: sed proprietate, qua hæc est, quòd videlicet non est à seipso, nec diuinitatem à seipso habet, vt Pater, nec ab alio: sed à Patre æterno, ex eius substantia ab æterno genitus: & quòd ab ipso sicut ex Patre, Spiritus sanctus ab æterno procedit.

Quid est Spiritus sancti proprietas?

Spiritus sanctus tertia est diuinitatis persona, distincta à Patre & Filio, eiusdem tamen diuinitatis cum vtroque, atque idem vnus Deus. Huius proprietas est, quòd non est nec à seipso, nec, vt filius, genitus: sed

quòd ab utroque patre nempe, et filio, ab æterno procedit.

Quod est extrinsecum personarum diuinitatis discrimen?

Quod est extra Essentiam diuinam, in rebus creatis, & à beneficijs præcipuis singularum personarum erga Ecclesiam, quibus se patefecerunt, sumitur.

Vbi illud extat?

In Symbolo Apostolorum, & ex sacra Scriptura habetur.

Quomodo igitur hoc modo Pater à reliquis personis diuinitatis discernitur?

Respondeo: Quòd dicitur creator.

Ergo ne Pater absq; Filio & Spiritu sancto res condidit?

Nequaquam. De Filio enim scribitur, quòd per ipsum omnia facta sint. De Spiritu sancto, quòd Spiritu oris eius omnis exercitus cœlorum firmatus sit. Item: Spiritus Domini incubabat aquis. Et sic opus creationis toti Trinitati commune est. Sed vt consideretur discrimen personæ Patris, quo à persona Filij & Spiritus sancti intra ipsam simplicissimam vnitatem diuinitatis discernitur: Ioan. 1. Psal. 33. Gen 1.

nitur: quòd videlicet pater fons est & origo totius Trinitatis, à quo omnia sunt creata, & ab ipsa sunt, & habent hoc ipsum reliquæ personæ Filius, & Spiritus S. quòd sint creator & omnipotens: Ideo pater creator dicitur.

Quomodo Filius discernitur hoc modo à reliquis personis?

Incarnatione & redemptione. Dicitur enim redemptor & mediator, non quòd sine
Ioan. 3. Patre aut Spiritu sancto nos redemerit: Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: sed quia sola hæc persona Filij naturam humanam assumpsit, in ea passa est, ac precium redemptionis nostræ persoluit. Licet incarnatio quoq; ipsa, totius Trinitatis sit opus, quæ eam est operata.

Quomodo Spiritus sanctus?

Sanctificatione. Non quòd absque Patre & Filio id operetur: sed quia visibili specie linguarum, & variorum donorũ missus est Apostolis, & datur etiam omnibus saluandis, & per verbum & Sacramenta efficax est: accendit in eis nouam lucem veræ Dei agnitionis, vt oblatum verbum accipiant & assentiantur: regenerat & sanctificat, regitq; nos, vt pie & sancte viuamus in præsenti seculo.

Quæ

Quæ sunt contraria Trinitati?

Trinitati sunt contraria, & aduersantur, Iudei, Samosateni, Ariani, Sabelliani, Mahometistæ, Seruetus, Stanckarus, Antitrinitarij, &c. vnicam tantùm, vt Essentiam, ita et personam in diuinitate statuentes: Manichæi, duos Deos, pariter æternos, Bonum & Malũ: Valentiniani, plures Deos comminiscentes: Gentilium innumera Deorum turba: Pontificij Romanenses Idololatræ, quatuordecim opitulatores in necessitatibus, ingentemq; Diuorum multitudinem, & cœlestium Angelorum auxilium inuocantes, quorum meritis et intercessione se saluari petunt, & credunt (verba sunt ipsorum) contra id, quod dicit Dominus: Non habebis Deos alienos coram me. Quibus etiam diuinitatis & Christi propria tribuunt. Gabriel Bihel sup. Canonem Missæ lect. 30.

De Christo.

Vocabulum Christus quid significat?

Græcum est, & vnctum significat, sicut & Hebraum Messiah, eò quòd vnctus sit Spiritu Sancto consortibus. Non enim Spiritum accepit ad mensuram: sed tota plenitudo diuinitatis in eo habitat corporaliter. Psal. 45.

Cuius ratione vnctus dicitur?

Dicitur Christus vnctus, non ratione diuinitatis suæ seu Deitatis: hæc enim non accipit, sed dat & donat Spiritum sanctum, sicut in Ioanne multoties promisit: Verùm ratione humanitatis suæ vnctus dicitur, præ consortibus suis, hoc est, præ alijs Christianis, qui & ipsi Christiani, id est, vncti dicuntur.

Quæ sunt in Christo obseruanda?

Duo. Quæ? Persona eius, & officium.

Quid de persona eius sentis?

Constat hac duabus naturis: Diuina æterna, quam habet ab æterno, à Patre coæterno, qua est Filius Dei ab æterno, ex Patris æterni substantia, verus & æternus Deus genitus, consubstantialis Patri: Et humana, quam in tempore Filius Dei assumpsit ex Maria virgine, de Spiritu sancto conceptus: inseparabiliter vnitis.

Dic testimonia Scripturæ de æterna diuina Filij Dei natura?

Tribuuntur illi in Scriptura sacra nomina diuina, & res quoque ipsa. Dicitur Deus Zebaoth. DOMINVS, siue IEHOVAH, Altissimus, Omnipotens, Naturalis, Verus & æternus Dei Filius. Pater perpetuæ vitæ.

Isa. 9.

Isa. 9. Dat vitam æternam. Ioan. 10. Est καρδιογνώστης. *Remittit peccata, iustificat, saluat, resuscitat mortuos.*

In principio erat Verbum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et Deus erat Verbum. Ioan. 1.

Christus ex Patribus secundum carnem, qui est Deus benedictus in secula. Rom. 9.

Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna. 1. Ioan. 5.

Quomodo facta est æterna hæc Filij à Patre generatio?

Id verò nullius humanæ mentis acie indagari potest: imperscrutabilis est, incomprehensibilis, ineffabilis. Scire aut intelligere non possumus: sed credere, admirari, venerari & adorare debemus hoc mysterium.

Quid est natura humana in Christo?

Idem quod verus homo, anima rationali & corpore subsistens, per omnia fratribus similis, absque tamen peccato. Filius hominis dicitur Dan. 7. Filius Dauidis & Abrahæ Matth. 1. Non tamen persona est per se subsistens, natura humana Christi, sed subsistit in persona Filij Dei, à quo in persona vnita-

tem assumpta est, eiq; vnita personaliter, à quo etiam sustentatur: ita vt illa extra vnionem personalem nunquam possit existere.

Quomodo probas naturam humanam in Christo?

Dicitur semen mulieris Genes. 3. Semen Abrahæ Gen. 12. Virginis Filius, Isa. 7. Immanuel, hoc est, in carne nostra Deus, id est, Deus incarnatus: Et, Verbum caro factum est, Ioan. 1. Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis: Esa. 9. Annunciatur eius conceptio Mariæ & Ioseph. Math. 1. Luc. 1.

Proba Deum & hominem in Christo vnum esse Christum, vnamq; personam.

Paulus 1. Timoth. 2. id testatur, inquiens: vnus Deus, Vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

Quod est Christi officium?

1. Cor. 1. *Vt sit redemptor, mediator inter Deum & hominem, propitiator pro peccatis humani generis, satisfactio, iustitia, Saluator omnium credentium in ipsum.*

Proba

Proba hoc.

Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum, quia saluum faciet populum à peccatis eorum.

Actor. 4. Non est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu Christi.

1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio, pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed totius mundi peccatis.

1. Tim. 2. Vnus mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

Quomodo id fecit?

1. *Faciendo & implendo legem Dei perfectè, cùm non deberet: Iota enim aut apex vnus non præteribit à lege, inquit, donec omnia fiant:* 2. *& patiendo, atque ferendo pœnas omnes transgressionis nostræ. Factus est enim* Gal. 3. 4. *sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Et posuit Dominus super eum omnium* Isa. 53. *nostrûm iniquitates: verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, & & attritus est propter scelera nostra.*

Secundum quam naturam Christus est mediator?

Secundum vtramq;, diuinam scilicet & humanam. Quia mediatorem oportet vtriq; parti esse gratum & acceptum, & quiddam habere commune seu participare cum vtroque.

De vnione personali in Christo.

Quid est vnio personalis?

Est coniunctio siue copulatio duarum naturarum in Christo perpetua & inseparabilis, qua persona τοῦ λόγου, hoc est, Filij Dei, in se permanens immutabilis, humanam, non dico personam, sed naturam, in se quoq; cum omnibus Essentialibus suis proprietatibus permanentem, in vnam personam (quae dicitur Christus) assumpsit, seq; ei, non nominetenus, sed reuera, & tamen ineffabiliter, tanquam μορφὴ vniuit, ita vt vnum ὑφιστάμενον constituant, saluis vtriusque naturae substantia & proprietatibus.

Regulae. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Explica & proba hanc definitionem Vnionis personalis?

Deus & homo, finitum & infinitum, corporeum

poreum & incorporeum, ita in vnam perſonam coïerunt, vt neutra natura in alteram 7.
ſit conuerſa aut mutata, ſicut nec propria e- 8. XX
tiam vnius naturæ vsquam ſiunt propria
alterius, ſed conereia naturarum de ſe in- 9.
uicem predicantur. vt: Deus eſt homo: Ho-
mo eſt Deus. Deinde, actiones & paſſiones 10.
communes ſunt, & totius perſonæ, ſicut homo
ex anima rationali & corpore conſtans, quic-
quid facit totus facit. Vnde Dominus gloriæ 1. Cor. 2.
crucifixus, & Deus, ſuo ſanguine redemiſſe Act. 20.
Eccleſiam, ſcribitur.

Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit, in Chri- Col. 2.
ſto inhabitare totam plenitudinem Diuinita-
tis corporaliter. Item, in ipſo omnes theſau-
ros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos. Eſtq; 3
peculiſica differentia Vnionis perſonalis, qua
ab omnibus alijs vnionis modis diſcernitur.
Quia totus λόγος eſt incarnatus. Vnde Fi-
lius ex Mariæ carne & ſanguine natus, filius
eſt altiſſimi. Et Apoſtoli Verbum vitæ ma- 1. Ioh. 1.
nibus contrectauerunt. Ac Iudæi Dominum
gloriæ crucifixerunt: Deusq; ſuo ſanguine
Eccleſiam redemit, vt antea dictum eſt.

Eſtne autem capax humana natura in Chri-
ſto, proprietatum diuinæ naturæ:
an non illis aboleatur?

Reg. 11. 11.

Respondeo. Humana natura in Christo, in se & per se considerata, ratione suæ essentiæ & proprietatis, semper est & manet finita: nec vnquam, etiam post vnionem personalem cum filio Dei, fit infinita, sed per istam vnionem factum est, cùm in personam τοῦ λόγου infinitam sit assumpta & exaltata, 12. vt à λόγῳ, & persona filij Dei, nunquam, vbicunque hæc fuerit, separetur. 13. Et sicut humana natura finita capax est & fuit, in incarnatione & vnione personali, diuinitatis totius τοῦ λόγου, qui est æternus Deus, absque 14. sui destructione & abolitione: ita etiam capax est proprietatum diuinæ naturæ, Maiestatis, Omnipotentiæ, omniscientiæ, &c. quibus non destruitur, nec aboletur, sed ornatur & extollitur.

Quæ fuit Nestorij de hac doctrina hæresis.

Affirmauit quidem, vnam in Christo esse personam, filium Dei & hominis: sed Idiomatum communicationem realem in persona Christi negauit. Vnde Naturarum separatio & solutio personæ sequitur. Vno igitur verbo, error Nestorij fuit, quòd Idiomatum communicationem (de qua postea) non intellexit,

tollexit, nec concedere voluit: quòd videlicet unius naturæ propria tribuantur alteri in concreto per participationem. Ideoq; Concilio Ephesino damnatus est, quòd nollet cum Scriptura loqui, quæ dicit: Dominum gloriæ crucifixum, Deum suo sanguine redemisse Ecclesiam. Sicut & in Symbolo confitemur, Filium Dei vnigenitum, natum ex Maria virgine, passum, crucifixum, mortuum, &c.

Quomodo hæc hæresis refutatur?

Perspicua sunt Scripturæ sacræ testimonia. Angelus diserte dicit Mariæ matri: Quod ex te nascetur sanctum, FILIVS ALTISSIMI vocabitur. Item Apostolus: Si DOMINVM GLORIÆ cognouissent, non CRVCIFIXISSENT. Et iterum: DEVS Ecclesiam SVO SANGVINE acquisiuit. Luc. 1. 1. Cor. 2. Actor. 20.

Quæ fuit hæresis Eutychetis?

Planè Nestorij contraria. Scribitur enim sensisse, in Christo, post assumptionem humanæ naturæ in personæ vnitatem, humanam

manam à diuina fuisse absorptam, & in diuinam conuersam ac transfusam, adeoq; deificatam, nec permansisse humanam amplius. Sicut Schuuenckfeldius negat, Christum post glorificationem creaturam esse, & sic hominem.

Fol. 145. Art.

De communicatione Idiomatum.

Quid est communicatio Idiomatum?

Cùm ea, quæ vnius naturæ in Christo sunt propria, tribuuntur alteri in concreto: & sic de toto Christo accipiuntur, & sunt interpretanda. Quòd videlicet diuina natura τοῦ λόγου in Christo humanæ naturæ assumptæ communicârit suas proprietates, quæ communicari possunt: ita vt, quod filius Dei habet per naturam, id hominis filius habeat per gratiam, sibi ex Vnione personali communicatam, vt omnipotentiam, omnipræsentiam, viuificationem, &c.

sicq; ꝑ accidens Nec tñ ũnig nr̃æ ꝓpria a fient ꝓpria alterig Hic. n. 8. fol. 25.

Veteres similitudine, à ferro ignito & candente sumpta, illustrârunt. Ferrum ignitum lucet & ardet, aliâs suâ naturâ frigidum,

dum, rubiginosum, ac nigrum ferè. Nec tamen in ignem mutatur, licet ignis naturam assumat, & nihil propemodum quàm ignis conspiciatur. Sic divina natura filij Dei non tantùm lucet in tota natura humana assumpta, sed proprietates etiam suas illi communicat: absq; tamen naturarum confusione. Ita ut Christus, etiam secundum humanam suam naturam, divinas habeat proprietates: quòd omnia scit, omnia potest, agit & facit, cum filio Dei, omnipræsens, cœlesti supernaturali modo. Et tamen homo Christus in personæ unitatem assumptus à λόγῳ, manet homo, λόγος manet λόγος.

Qualis hæc est communicatio?

Non fictitia aut Grammatica, vel modus aut phrasis loquendi: sed nec Physica, ut multi contra conscientiæ testimonium, nos asserere, calumniantur: Verùm realis, hoc est, vera, quæ realiter, verè & reipsa, opere vel facto existit.

Recita testimonia Scripturæ, de hac communicatione?

OMNIA MIHI tradita sunt à Patre meo. Data est MIHI OMNIS POTE- Matth. 11. Matth. 28.

POTESTAS in cœlo & in terra.

Quæ sunt contrariæ.

Omnes hæreses, quæ non rectè senserunt de Christo: Arius, Apollinaris, Nestorius, Eutyches, Samosatenus, Photinus, Valentiniani, Seruetus, Marcion, qui Christum verum corpus habere negauit, & tantùm spectrum fuisse docuit. Sentire humanam naturam, propter Vnionem personalem, cum diuina permixtam, aut in eam transmutatam. Humanam naturam, eodem modo, quo diuinam, esse infinitam: vel contrario modo, certo cœli loco inclusam & circumscriptam, solamq; Christi diuinam naturam, vel Spiritum eius, esse nobiscum. Exæquationem humanæ naturæ in Christo, cum eius diuinitate, facere. Separare duas naturas in Christo: ita vt alicubi eius sit diuinitas, vbi non secum assumptam habeat naturam humanam. Humanam in Christo naturam vbiq; diffusam, vel è contrà diuinam naturam magnã & physicè diffusam imaginari. Solam humanam naturam pro nobis passam, cum qua diuina nullam prorsus habuerit in passione communionem. Christum secundum diuinam tantùm naturam nobiscum esse. Humanam naturam cum diuina maiestate non participare.

De

De Spiritu sancto.

Quid significat vocabulum Spiritus?

Spiritus à spirando dicitur, sed plura significat. Interdum enim ventum significat. Ioan. 3. Spiritus, vbi vult, spirat.

Deinde. Essentiam spiritualem, & quamuis naturam incorpoream intelligentem. Hinc pro anima hominis accipitur. Hoc modo etiam ad Angelos refertur: Qui facis Angelos tuos Spiritus, Psal. 104. similiter etiam ad malos Angelos, Luc. 11. Cùm immundus Spiritus exierit ab homine. Similiter ad Deum ipsum refertur, qui est aterna, spiritualis, & diuina Essentia. Est & commune tribus personis diuinitatis, sicut vocabulum Deus. Ioan. 4. Deus est Spiritus: quòd hi tres, sint vna spiritualis essentia.

Preterea proprietatem vel personam, per se quidem subsistentem, sed tamen à Patre & Filio procedentem. Et hac ratione tertia tantùm persona in diuina Essentia competit, vt in formula Baptismi à Christo instituti: Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Adhac

Adhæc, Spiritus pro donis Spiritus sancti miraculosis, & alijs, accipitur, Ioan. 7. Nondum Spiritus erat datus: quia Iesus nondum erat glorificatus.

Quæ sunt appellationes spiritus sancti?

Dicitur Spiritus Domini, Dei Patris, Filij, Christi, sapientia, intellectus. Isa. 11. Gratia & precum, Zach. 12. Paracletus, Spiritus veritatis, Ioan. 15. Arrhabo hæreditatis, &c.

Proba Spiritum sanctum esse Deum?

Quia nomina & res, hoc est, opera propria Dei, illi tribuuntur. 1. Dicitur Deus. 2. Sam. 23. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Dixit DEVS Israel, fortis Israel locutus est mihi. Quo in loco, manifestè Spiritus sanctus Deus dicitur. Quem enim initiò Spiritum Domini nominauit, hunc postea vocat Deum Israel. Sic Actor. vlt. Paulus inquit: Benè Spiritus sanctus dixit per Prophetam Esaiam patribus nostris. Sed vnde hoc desumptum est? nempe ex cap. 6. ibi habetur & dicitur, Deum Zebaoth, hoc est, exercituum, locutum esse.

Act. 5.

Act. 5. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te SPIRITVI SANCTO? *Non es mentitus hominibus, sed* DEO.

1. Cor. 12. Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in SPIRITV SANCTO. *Diuisiones verò gratiarum sunt: idem autem* SPIRITVS. *Et diuisiones ministrationum sunt: idem autem* DOMINVS. *Et diuisiones operationum sunt: idem verò* DEVS, *qui operatur omnia in omnibus.*

2. Tribuuntur Spiritui sancto non solùm nomina, sed etiam res, Deo propriè competentes. Gen. 1. Psal. 33. Creatio: Spiritus Domini incubabat aquis, viuificans omnia. Impartiri autem vitam creaturæ, opus est proprium diuinæ naturæ. Sicut Psal. 104.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, et renouabis faciem terræ.

Hinc Spiritus sanctus inuocatur creator. Veni creator Spiritus, &c. Regeneratio. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Viuificatio. Iohan. 6. 2. Cor. 3. Spiritus est, qui viuificat.

Vnde procedit Spiritus sanctus?

A Patre, Filioq́, vt verba Symboli habent. Et Christus dicit Ioh. 15. Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Quòd si Filius Spiritum sanctum mittit, & mittit eum à Patre: necesse est, eum ab vtroque procedere. Aliâs non posset eum Filius mittere: aut non posset eum à Patre mittere.

Qui sunt effectus Spiritus sancti?

Varia dona, quæ operatur vnus & idem Spiritus, tam in credentibus, quàm incredulis, diuidens singulis prout vult. Vbi Spiritus sanctus author discernitur à donis, quæ sunt effectus ipsius. Et recensentur plurima ab Apostolo, 1. Cor. 12.

Zach. 12. dicitur Spiritus Gratiæ & precum, Gratiæ, quòd nos confirmet, & certiores reddat, quòd apud Deum simus in gratia. Precum, quòd nos ad precandum excitet. Vnde Versus:

Arrha docet, renouat, iuuat, obsignatq́ salutem.

Operatur fidem: deinde etiam dari dicitur, vt excitet nos ad precandum.

Quæ

Quomodo hæc Spiritus sancti dona conferuntur?

Bifariam: publicè, visibiliter ac miraculosè, vt in die Pentecostes Spiritus sanctus super Apostolos effusus est, in donis linguarum Act. 2.
& miraculorum. Et hoc in primitiua Ecclesia aliquandiu duranit, donec Euangelij doctrina confirmaretur. Marc. vlt. Deinde inuisibiliter, vt donum sanctificationis omnibus credentibus, per Ministerium verbi & Sacramentorum, & alia varia Spiritus sancti dona, pijs ad Ecclesiæ ædificationem conferuntur. Quæ omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult. Sicut Helizæus petijt, vt Helia Spiritus duplex in se fieret.

Quæ sunt contrariæ?

Hæreses variæ. Arij, qui Spiritum sanctum vocauit seruum Patris. Eunomij, quem refutauit Basilius. Macedonij, quem rectè damnauit Concilium Constantinopolitanum, negantem Diuinitatem Spiritus sancti. Quæ Hæreses in præcedentibus satis sunt refutatæ.

De voluntate Dei.

Dictum est suprà, ferè ab initio Loci de Deo, duo requiri ad veram Dei agnitionem, Essentiæ scilicet eius, & voluntatis notitiam. Hactenus de ipsius Essentia: iam de voluntate eius breuiter.

Quotuplex est Dei voluntas?

Vna est Dei, & non multiplex, varia, inconstans, aut sibi contraria voluntas: Vt aliud publicè de se promulget, aliud verò in corde occultet. Hæc enim in Deum non cadunt.

Sed tamen docendi causa, secundum duo doctrinarum genera, quæ publicè promulgauit, & in Ecclesia sonare voluit, Legem scilicet & Euangelium, duplex Dei voluntas dici potest, in Lege scilicet & Euangelio reuelata.

Legalis vna, quam in Decalogo patefecit, & quam nos vult facere, de qua nobis hîc sermo non est, peculiari enim loco, de Lege, tractabitur.

Euangelica altera, seu gratiosa, qua erga nos affectus est, & vult omnes, fide Mediatorio ad se confugientes, in gratiam recipere, gratis, per & propter Christum Redemptorem, peccata remittere, & perpetuò saluare.

De

De Creatione.

Quid significat creare?

Creare est ex nihilo aliquid facere: similiter & ex rudi indigestaq; mole, & ita velle aliquid facere & condere. Quorum utrumq; ex Gen. cap. 1. apparet: vbi primùm Deus, cum nihil præter ipsum esset, ex nihilo, cœlum & terram rudem molem condidit: ex qua deinde reliqua omnia creauit. 2. Macc. 7.

Quid est creatio?

Creatio est opus totius diuinitatis, quo ex nulla præexistente materia, & sic ex nihilo antea, virtute verbi sui, fecit omnes creaturas, visibiles & inuisibiles, eaq; omnia sustentat & regit, vt hinc agnoscatur & celebretur.

Quis est author Creationis?

Tota Trinitas. Opera enim Trinitatis ad extra, sunt indiuisa. Sed ad discernendas personas Diuinitatis, Deus Pater dicitur per Filium in Spiritu sancto, omnia condidisse vel creasse, vt suprà dictum est.

De voluntate Dei.

Dictum est suprà, ferè ab initio Loci de Deo, duo requiri ad veram Dei agnitionem. Essentiæ scilicet eius, & voluntatis notitiam. Hactenus de ipsius Essentia: iam de voluntate eius breuiter.

Quotuplex est Dei voluntas?

Vna est Dei, & non multiplex, varia, inconstans, aut sibi contraria voluntas: Vt aliud publicè de se promulget, aliud verò in corde occultet. Hæc enim in Deum non cadunt.

Sed tamen docendi causa, secundum duo doctrinarum genera, quæ publicè promulgauit, & in Ecclesia sonare voluit, Legem scilicet & Euangelium, duplex Dei voluntas dici potest, in Lege scilicet & Euangelio enuntiata.

Legalis vna, quam in Decalogo patefecit, & quam nos vult facere, de qua nobis hîc sermo non est, peculiari enim loco, de Lege, tractabitur.

Euangelica altera, seu gratiosa, qua erga nos affectus est, & vult omnes, fide Mediatoris ad se confugientes, in gratiam recipere, gratis, per & propter Christum Redemptorem, peccata remittere, & perpetuò saluare.

Di

De Creatione.

Quid significat creare?

Creare est ex nihilo aliquid facere: similiter & ex rudi indigestaq; mole, & ita velle aliquid facere & condere. Quorum utrumq; ex Gen. cap. 1. apparet: vbi primùm Deus cum nihil præter ipsum esset, ex nihilo, cœlo & terræ rudem molem condidit: ex qua deinde reliqua omnia creauit. 2. Macc. 7.

Quid est creatio?

Creatio est opus totius diuinitatis, quo ex nulla præexistente materia, & sic ex nihilo antea, virtute verbi sui fecit omnes creaturas, visibiles & inuisibiles, eaq; omnia sustentat & regit, vt hinc agnoscatur & celebretur.

Quis est author Creationis?

Tota Trinitas. Opera enim Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Sed ad discernendas personas Diuinitatis, Deus Pater dicitur per Filium in Spiritu sancto, omnia condidisse vel creasse, vt suprà dictum est.

Proba.

In principio creauit Deus, Elohim (Dij) cœlum & terram. Et dixit Deus. Hoc Dei dicere & verbum, est substantiale Dei verbum, id est, Filius, ὁ λόγος, per quem omnia facta sunt. Et Spiritus Domini incubabat aquis: id est, fouebat & viuificabat, quemadmodum Gallina, onis incubans, ea suo calore fouet & viuificat.

Quæ sunt species?

Res visibiles & inuisibiles, spirituales & corporales.

Quæ est causa impulsiua Creationis?

Immensa Dei bonitas: quia bonum est communicatiuum sui.

Quæ est causa finalis Creationis?

Totus hic mundus, & omnia, quæ in eo sunt, principaliter propter Deum creata sunt: Vt hinc Architectus ex suo opere cognosceretur & celebraretur. Rom. 1. Omnipotens, sapiens, bonus. Iob. 12. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & respondebit, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd hæc omnia manus Domini fecerit?

Deinde

Deinde etiam propter homines. Gen. 1. Fecit Deus hominem ad imaginem suam, secundum similitudinem suam, cuius imperio omnia sunt subiecta, vt illis dominaretur. Gen. 1. Sicut etiam homo, reb. alys omnib. iam creatis, tanquam Dominus, propter quem illa sunt creata, postremò creatur, in mundum introducitur, ac Dominus omnium constituitur.

Habebit ne etiam finem hic mundus?

Sicut habet initium, ita & finem habebit. Non enim est aternus.

Proba hoc.

Matth. 24. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non peribunt. 2. Pet. 3. Cœli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem modo repositi sunt igni, reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Adueniet enim dies Domini, sicut fur, in quo cœli magno impetu transient. Elementa verò Solis calore soluentur: terra autem, & omnia, quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

Quid præterea ad Creationem pertinet?

Rerum conseruatio, gubernatio, & sustentatio. Non enim Deus discessit à suo opificio, sicut faber discedit à domo, aut naui à se extructa, eam postea fortunæ committens:

sed perpetuò adest, gubernat, conseruat, & sustentat naturas, à se conditas, idq; liberrimè, non allegatus causis secundis, quas potest pro sua liberrima voluntate mutare, promouere, impedire: iuxta illud Psalm. 135. Deus autem noster omnia quæcunq; voluit, fecit, in cœlo & in terra.

Proba Scripturæ testimonijs rerum conseruationem à Deo fieri.

Psal. 104. Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Ioan. 5. dicit Christus: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor.

Act. 17. In ipso viuimus, mouemur & sumus.

Col. 1. In ipso omnia consistunt.

Quæ pugnant cum Creatione?

Epicureorum furores, affirmantium, omnia ex fortuito atomorum concursu esse facta. Quod planè esse impossibile, conuincit ordo in natura pulcherrimus, regulares motus corporum cœlestium, fines deniq; certi, ad quos singula sunt condita.

Similiter & Philosophorum opiniones de mundi æternitate, qui Scripturæ sacræ testimonijs, quæ nobis Christianis firmissimæ sunt demonstrationes, refutantur.

Quis

Quis est finis creationis?

Primò, ut Deus hinc agnoscatur omnipotens, sapiens & beneficus. Rom. 1. Opus enim commendat artificem, & totum hoc vniuersum clamat, esse Deum. Vult ergo ab omnibus creaturis agnosci & celebrari. Psal. 148. Laudate Dominum de cœlis: Laudate eum omnes Angeli eius: Laudate eum Sol & Luna: Laudate eum omnes stellæ: Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, &c. Vide totum Psalmum.

Deinde, in usu hominum omnia sunt condita: ideoq; mundo, & omnibus, quæ in eo sunt, conditis, homo creatur, cui dominium vniuersorum traditur, quæ omnia illis seruiant.

Tertiò, quia Deus adhuc omnia conseruat & administrat, sciamus, ab ipso omnia bona petenda esse.

Et postremò, aduersa omnia patienter ferenda. Quia Deus hæc dat, & aufert: præsertim cùm sciamus, diligentibus ipsum omnia cooperari in bonum. Iob. 1. Rom. 8.

De Angelis.

Quomodo probas esse Angelos?

DVobus modis. Quibus? sacræ Scripturæ testimonys, & experientia. Quia sacra Scriptura testatur esse Angelos. Et sanctis Dei hominibus apparuerũt: Abrahæ. Gen. 18. 21. 22. Patriarchæ Iacobo, qui Gen. 28. videt eos ascendentes & descendentes super scalam. Ibidem 32. obuiam habet idem duas turmas Angelorum, quos vocat castra Dei. Vnde etiam, ab insigni hac eorum apparitione, locum vocat Mahanaim. Hinc Dauid illud mutuatus est, & huc respexit, Psalm. 33. Angelus Domini castrametatur in circuitu timentium eum. Quod exemplis Scripturæ notum est.

Quæ appellationes & vocabula tribuuntur eis?

Angelus Græcum est, & nuncium, legatum, vel missum significat, ratione officij. Quia Legati Dei, sunt emissi ab ipso ad ministerium piorum. Et sic generale nomen officij est, quod omnibus ex æquo conuenit, à Deo missis. Tribuitur autem spiritibus istis per excellentiam.

Secun-

Secundò, tribuitur vox Angelus etiam Filio Dei, qui missus est à Deo Patre, inenarrabili consilio, in hunc mundum, vt homo & victima factus, redimeret genus humanum. Gen. 48. Angelus, qui me eripuit ex omnibus malis, benedicat pueris istis.

Tertiò, tribuitur vocabulum hoc etiam Ioanni Baptistæ. Malach. 3. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.

Quartò, sic & aliis Doctoribus Ecclesiæ tribuitur hoc vocabulum. Malach. 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. Quia Angelus Domini exercituum est.

Quid sunt Angeli?

Sunt spiritus, hoc est, substantiæ spirituales, boni, intelligentes, liberi arbitrij, Virtute potentes, &c. à Deo creati, vt ipsum celebrent, hominibus inseruiant, & fruuntur æterna felicitate.

Psalm. 104. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis vrentis. Esa. 6. cantant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth. Heb. 1. Nónne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium

Angeli sunt creati: ps. 104. Heb. 1. Joan. 1. Col. 1. Eb. 12.

sterium emissi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Quotuplices sunt Angeli?

Duplices: Boni & mali. De bonis prius, postea de malis dicturi.

Qui sunt boni Angeli?

2. Pet. 2. Dñs peccasse mali Angeli.

Id ex antithesi apparet. In Epistola enim Iudæ habetur, Deum Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis, sub caligine reseruasse. Quod de malis Angelis apostatis, qui liberrima sua voluntate à Deo defecerunt, est intelligendum, sicut & Ioh. 8. Christus dicit de Diabolo, quòd in veritate non steterit. Sunt igitur sancti Dei Angeli, qui originem suam seruauerunt, & in integritate & sanctitate, qua creati sunt, perstiterunt, in eaq́ sunt confirmati.

Quis est numerus Angelorum?

Præ multitudine numerari non possunt.

Gen. 23. Luc. 2. Dan. 7. Psal. 68.

Iacob Patriarcha videt duo Angelorum castra. Dicuntur militia cœlestis exercitus. Daniel videt millia millium Angelorum, & decies millies centena millia. Currus Dei millies mille.

Christus dicit sibi mitti pōt aliquot legiones.
Matt. 18. Quisq́ suū dr̄ hr̄o angelū.
Eliseus multos ostendit suo Greci angelos. 2. Reg. 6.

Chri-

Christus dicit Petro: An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum. Heb. 12. Accessistis ad innumerabilem Angelorum cœtum. Matt. 26.

Quæ sunt officia Angelorum?

1. *Astant in conspectu Dei, eumq; celebrant, cantantes. Esa. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Sicut & Psalmo 103. habetur: Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute. Luc. 2. Multitudo militiæ Cœlestis canit: Gloria in excelsis Deo.*

2. *Vtitur Deus illorum opera & ministerio, in patefacienda sua voluntate hominibus: Vt Abrahæ, Gen. 21.*

3. *Annunciant futura. Dan. 4. 9. Dicit Angelus Domini Danieli: Nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres: tu autem animaduerte, & intelliges sermonem. Septuaginta septimanæ, &c. Similiter Zach. 1. 2. 4. 5.*

De multis magnis rebus monent pios. Iosephum de conceptione Christi ex Spiritu sancto, de fuga eius & reditu. Magos, ne ad Herodem redeant, Matth. 2.

4. Ser-

4. Seruiunt electis, eosq; defendunt. Heb. 1 Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Matth. 18. Angeli eorum (paruulorum) semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.

5. Delectantur ministerio Euangelij de Christo, & salute piorum, illaq; promouent, 1. Pet. 1. Angeli desiderant introspicere ea, quæ nobis annunciantur per Euangelium de Christo. Actor. 8. Angelus Domini adducit Philippum Apostolum ad Eunuchum reginæ Candaces.

Actor. 10. Angelus Domini Cornelio dat mandatum de accersendo Petro.

Ibid. 16. Angelus Macedoniæ apparet Paulo, eumq; vocat, vt illic prædicet Euangelium de Christo: In Macedoniam transiens, inquit, adiuua nos.

6. Gaudent super pœnitente peccatore, Luc. 15.

7. Defendũt pios Doctores Ecclesia, quamdiu eorum opera Deus vult vti in ministerio. Sicut Prophetas, Apostolos, Ambrosiũ, Athanasium, & alios, sicut Heliseus montem plenũ equorum & curruum igneorũ vidit, 2. Re. 6.

8. Pu-

8. *Pugnant item pro Ecclesia, Politia, & Oeconomia, & tres has Hierarchias contra Diabolum defendunt.*

Dan. 10. dicit Angelus, qui Danieli apparet: Princeps autem regni Persarum restitit mihi vno & viginti diebus. Et ecce Michaël, vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. Veni autem, vt docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus. Et sic in Politia tuentur pacem, & custodiunt pios Magistratus. Sicut Hiskiam contra Sanherib, cuius exercitum Angelus vna nocte trucidauit, 2. Reg. 19. Quemadmodum & Herodem Angelus Domini percussit, Act. 12.

In Oeconomia tuentur infantes, parentes pios, & familiam, Gen. 32. Psalm. 33. 91. Matth. 18.

9. *Procurant nuptias Gen. 24. Isaaco.*

10. *Deportant denique animas piorum in vitam æternam: vt Lazari, ita & aliorum.*

Quæ pugnantia?

Pugnantia cum Angelis, & contraria sunt: 1. Opiniones Epicureæ & Sadducææ, quòd

quòd non sint Angeli & spiritus. Deinde, Diaboli, seu mali Angeli, de quibus mox. Postremò, & vita Diabolica hominum impœnitentium, qui laqueis Diabolorum tenentur captiui ad ipsorum voluntatem, 2. Tim. 2.

Quomodo nos erga Angelos gerere debemus?

Non sunt adorandi. Hic enim honor soli Deo competit. Ἰδεοὶ, tanquam cultum Idololatricum respuunt. Apoc. 19. 22. Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum, Deum adora. Sed Deo pro hoc dono ac beneficio gratiæ sunt agendæ.

Deinde, resipiscamus à peccatis, & ad Deum conuertamur. Et gaudium erit ipsis Angelis in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente.

Tertiò, virtutes illorum imitemur: Deum celebremus cum ipsis. Castè, piè, & sanctè viuamus, in hoc præsenti seculo. Et proximo, pro nostra vocatione, & viribus, inseruiamus.

His modis nostro officio erga ipsos probè perfungemur.

De

De Diabolis.

Diabolos esse, non cogitationes malas in hominibus, sed spirituales substantias, per se existentes, & non tantùm hærere in aliis, vt accidentia: probatur literis Propheticis & Apostolicis: ac testatur proh dolor experientia plus satis.

Iob. 1. Stat Sathan inter filios Dei. Vide duo priora capita Iobis. Vide etiam 1. Regum vlt.

Christus eiecit multa dæmonia ab obsessis dæmoniacis. Petunt quidam, se dimitti in porcos, Luc. 8. Et interrogatus de nomine, respondit: Legio, quia intrauerant in vnum miserum hominem, multa dæmonia.

Diabolus ingreditur in Iudam Ischarioth, Ioan. 13.
& mittit illi in cor, vt traderet Iesum.

Appellationes eorum.

Diabolus calumniatorem significat, quòd Dei opera & verba calumnietur, sacramq; Scripturam peruertat. Singulari numero alicubi Scriptura sacra vtitur propter principatum iniustitiæ, qui regno ipsius opponi-

D tur.

tur. Estq́ nomen speciei, plurima in se continens indiuidua.

Dicuntur & Dæmones, & Dæmonia, & mali spiritus, pessimus spiritus, & immundus, mendax, homicida, serpens antiquus, Draco, Dominus, Deus & princeps huius Mundi, Sathan, potestas aëris, Leò rugiens, Domini mũdi, rectores tenebrarum, nequissimus, principatus, potestates, spirituales nequitiæ in cœlestibus.

Quid sunt Diaboli, vel Angeli mali?

Si in. exciderunt & non steterunt. Joan. 8. & prius steterunt.

Angeli mali sunt spiritus à Deo creati, & ornati initiò iustitia, sapientia, potẽtia, & integritate virium, ad seruiendum ipsi & hominibus: sed auersi à Deo liberè, amiserunt rectitudinem virium cõcreatam, & propterea de cœlo deiecti, facti sunt hostes Dei, ac totius humani generis, cui, vt antea sibi quoq́, degenerando, causa peccati fuerunt, illudq́ secum in exitium & cruciatus perpetuos ra-
1. Ioan. 2. *biosè abducere conantur. Quorum tamen opera Filius Dei dissoluit, eosq́ deuicit, perpetuò damnandos.*

Vnde sunt Diaboli?

Duplex est quæstio, ita etiam responsio: & de ipsorum substantia, & de malitia ac peruersitate.

Quòd

Quòd enim sunt substantiæ spirituales, id à Deo habent, à quo sunt creati, & adhuc sustentantur, vt reliquæ ipsius creaturæ. Et quidem hi quoq;, sicut reliqui, initio à Deo boni creati sunt.

Quòd vero mali sunt, & Diaboli, hoc habent à semetipsis. Sicut Christus inquit: Diabolus, cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius.

Quid sentis de numero, potentia, & studio Diabolorum?

Nobis nihil de numero certi constat, nisi multa esse millia illorum, quod vel inde apparet, quòd in vno misero homine Legio est Diabolorum. Luc. 8.

Potentia eorum ex operibus conspicitur, quòd suis laqueis irretitos, pro sua libidine ad quæuis scelera & flagitia etiam atrocissima, ad quæ, vel cogitantes, exhorrescimus, pertrahant. Ita hominum corda excæcant, vt non fulgeat illis lux clarissima Euangelij de Christo: bonum semen verbi DEI ex cordibus ignauorum rapiunt. 2. Tim. 2. 2. Cor. 4. Luc. 8.

Maxima c.

Potens c. in filijs incredulitatis. Eph. 2.

Qui sunt effectus & opera Diabolorum?

Hostis est Dei, Christi, & hominũ. Gen. 3.

Inimicitias ponam inter te & mulierem: & ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Hinc ἄσπονδος πόλεμος.

In tribus Hierarchijs omnia turbat.

In Eccleſia deprauat & corrumpit verbum DEI ſincerum, ſerit hæreſeis, Idolomaniam multiplicem ſancit, ac ſeminat ſua zizania inter triticum bonum. Spiritus vertiginis dicitur. Ad Idolomaniam homines inſtigat: Vnde ſpiritus fornicationis (ſpiritualis) dicitur. Oſeæ 4. ſibi offerri vult ſacrificia, et quidē humanis litari hoſtijs, Pſal. 106. Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs. Deinde, excitat perſecutiones piorum. Vnde dicitur mendax, & homicida, Ioan. 8.

In Politia perturbat, ſurſum deorſum vertit omnia, excitatis bellis, ſeditionibus, Iud. 9. cædibus, latrocinijs. Impedit ſana & ſalutaria conſilia. Dan. 10.

In Oeconomia, & priuatim ſingulos, mille modis lædere, affligere, perdere, & euertere conatur.

Quomodo pugnandum pijs, cum Diabolis?

Id

Id Apostolus docet ad Ephes. 6. Vbi armaturam Christianorum describit, qua induti, stare possumus aduersus insidias & insultus Diaboli. Hanc autem pugnam esse oportet indefessam. Quia bellum nobis cum illo est irreconciliabile: cùm nullas det inducias hostis. Iacobus ait: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Resistendum autem docet D. Petrus fortiter in fide: vbi simul vitæ sobrietatem, & vigilantiam requirit. Iac. 4. 1. Pet. 5.

De imagine Dei in homine.

Quid est imago Dei, ad quam initio homo conditus scribitur, Gen. 1.

ESt conformitas & similitudo hominis, qua congruebat cum Deo: estq; vera iustitia & sanctitas, omniumq; virium hominis, in anima & corpore, integritas, per omnia cum lege Dei congruens, coniuncta cum vera libertate, immortalitate, & rerum omnium dominio.

Proba hanc definitionem, vel descriptionem.

Apostolus, cùm de reparatione amissæ imaginis Dei in homine loquitur, docet, cuiusmodi illa fuerit, inquiens: Renouamini Spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate vera. Ephes. 4.

Quotuplex est imago Dei?

Duplex. Substantialis, seu Essentialis, æterna: qua est Filius Dei, ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *in qua refulget gloria paterna virtutis, per opera diuinarum effectionum. De qua imagine Filius ipse inquit: Qui videt me, videt & patrem meum. Sic Deus, est ipsa iustitia, sanctitas, bonitas. Vnde & solus bonus dicitur.*

Altera, est gratuita imago, in Angelis & hominibus, accidentalis. Vnde in similitudine, vel ad similitudinem Dei, factus scribitur, in iustitia & sanctitate veraci. Non, homo ipsa sanctitas, iustitia, aut veritas.

Habet'ne adhuc homo istam Dei imaginem in se?

Per lapsum protoplastarum amissa est hæc Dei imago, non tantùm in ipsis, sed in tota posteri-

ſpiritate. Tales enim genuerunt, quales ipſi
erant, ſicut ſcribitur: Genuit Adam filium ad Gen. 5.
imaginem & ſimilitudinem SVAM. Nam
quod ex carne naſcitur, caro eſt. Non enim
tota parte generat homo, quae eſt renatus:
ſed qua eſt carnalis. Vnde regeneratione
opus eſt.

Quomodo reparatur iſta Dei imago in homine?

Opus eſt reſtauratione, reparatione, regeneratione, ſeu renouatione.

Quomodo id fit?

Dei hoc opus eſt, qui, ſicut ab initio hominem ad ſuam imaginem creauit, ita per Spiritum ſanctum regenerat, renouat eum, ſpiritu mentis, creans cor nouum, & ſpiritum nouum, non exempta, aut deleta, aut in nihilum redacta cordis ſubſtantia, ſed vt aliter ſit affectum, & mutetur: nempe, vt Deum agnoſcere incipiat, confidere illi, diligere, inuocare, eiq; obedire. Quae omnia in hac vita inchoantur, in altera verò futura vita perficientur: vbi videbimus Deum à facie ad faciem, ſicuti eſt, & ſimiles ei erimus. 1. Ioa. 3.

Proba hoc amplius?

Effundam, dicit Dominus, ſuper vos Ezech. 36.

aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis Idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & faciatis illa.

De prouidentia diuina.

Quid est prouidentia dinina?

EST actio Dei, qua non solùm omnia cernit, præterita & præsentia, & futura nobis, præuidet: verùm etiam naturas rerum à se conditas omnes, & ordinem à se conditum, conseruat, & gubernat: ac generi humano, præcipuè verò Ecclesiæ suæ, deinde alijs quoq; creaturis, de omnibus rebus necessarijs prospicit, bonos iuuans & defendens, malas verò actiones determinans & puniens.

fol. 40. 1. plerunq

1. regit.

2 Iudum ordiem mutat & aliter agit nō allegans ad cas Edus.

Quot, & qui sunt gradus, seu modi, prouidentiæ diuinæ?

Tres. Qui? Primus, vniuersalis Dei prouidentia nominari potest: qua Deus vniuersam

sem naturam à se conditam, & inclinationem & modum naturæ agendi, incolumem servat, & sustentat: videlicet, ordinem regularem motuum in corporibus cœlestibus, vices temporum, fœcunditatem terræ, animantium, & alias res vtiles, & necessarias ad vitæ conseruationem: de qua loquitur Psalm. 104. nempe creatione & sustentatione rerum. Psalm. 145. Oculi omnium in te sperant, Domine: & tu das illis escam. Matth. 10. Duo passeres asse veneunt, & vnus ex his non cadit super terram sine Patre vestro. Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.

Secundus potest vocari specialis, quo omnes creaturæ Deo iubenti & volenti obtemperant, mandataq; ipsius exequuntur, ac seruiunt ipsi, siue iuuando pios, siue puniendo impios. Non enim alligatus est Deus ad causas secundas, vt Stoici delirârunt, vt non possit aliter agere, quàm illæ cient. Sed liberrimè vtitur earum Ministerio, quæ omnes & singulæ, ignis, nix, glacies, Spiritus procellarum, grando, faciunt verbum Domini, Psal. 148. Ignis non vrit in fornace Babylonis, ita Deo volente. Syrac. 39. Ignis,

fol. 56. script. 2

grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt: bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & romphæa, vindicans in exterminium impios.

Tertius, nominari potest peculiaris Dei prouidentia, quæ est electorum, seu credentium in Christum: qua Deus regnat in Ecclesia sua, & in eius membris est efficax, docet, iustificat, regit, consolatur, regenerat, saluat. Nouit Dominus viam iustorum. Qui habitat in adiutorio altissimi, &c. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt: Vnus non decidit, sine voluntate Patris vestri cœlestis.

Psal. 1.
Psal. 91.
Matth. 10.

Ergo ne nihil fit fortuitò?

Etsi multa fortuito nobis accidere videantur, multa quoque inordinatè fieri: certò tamen statuendum est, omnia, minutissima etiam, in rebus humanis, adeoq; toto mundo, quæcunq; fiunt, Dei gubernari prouidentia, & occulto quodam ordine diuino regi: adeò, vt ne sortes quidem, quæ maximè fortuita esse videntur, fortunæ cæcæ permittantur.

Proba hoc.

Exod. 4. Deus facit os hominis, mutum, surdum, cæcum, videntem.

Psal.

Psalm. 138. Domine, tu cognoscis sessionem meam, & resurrectionem meam: intelligis cogitationem meam longè antea. Semitam meam, & accubitum meum cingis, & omnes vias meas prauidisti. Quia non est sermo in lingua mea. Ecce tu Domine nosti totum ipsum.

Quæ cognata prouidentiæ?

Præscientia Dei, & prædestinatio.

Quòd si omnia Dei fiunt prouidentia, ergo nos vel ociosi erimus, aut temerè periculis nos obijciemus?

Quia Deus plerumq; & gratiam [illegible] ordine a se institutum ideo q obijciunt se periculis ut aq et igni [illegible] suffocantur & [illegible]

Neutrum horum. Diuina enim prouidentia, sicut non excludit, aut tollit media & consilia humana, quæ illi secundum ordinationem Dei subseruiunt, imò Deus ipse plerunq; vbi haberi possunt, & ad manum sunt legitima media, ijs vtitur ad executionem eorum, quæ prouidit: ita, etsi verum sit, omnia diuina prouidentia determinari, vt nihil præter illam nobis possit accidere, nec præuisa à Deo cauere queamus, tamen, quia fatalia ista Deus nobis non reuelauit, sed sibi soli suoq; arcano consilio reseruauit: ne ipsum tentemus, vult nos officium, nihilq; præter illius

ordinata

serves

qu abitores eius sumus mandata eius sequitur

ratio-

rationes facere: sed suæ singulos vocationi inseruire, & in se nos respicere, à verbo suo dependere, & gubernationem à se petere, ac euentus placidos. Sic rectè Ioab ad fratrem
2.Sam.10. suum dicit: Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro & ciuitate Dei nostri. Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.

Quis est vsus doctrinæ de prouidentia?

Primùm, hinc discamus & credamus, nihil temerè, nihil casu fortuito fieri: sed omnes euentus à Deo gubernari. Ideoq; in omnibus ad ipsum respiciamus, & fidem nostram inde confirmemus, eamq;, in petitione & expectatione auxilij & bonorum ab ipso, exerceamus.

Secundò, moderamur hac doctrina tentationibus, quibus in aduersis pij exercentur: cùm vident, bonis esse malè, & econtrà malis benè: vt dubitare incipiant, num res humanæ Deo curæ sint. Firmiter statuamus, non inscio, sed benè conscio Deo, ista fieri, eiusq; regi prouidentia, & tandem placidos daturum euentus.

Tertiò, vt sciamus, hominum malitia

Dei

Dei propositum & consilia impedire non possis, sed ipsum conatus etiam malos hostium moderari, & determinare ad voluntatis suæ executionem, & finem à se destinatum.

Quartò. Consolationem quoq; hinc petamus, necessariam in innumeris, quæ hominem circumueniunt, malis: vt in prouidentiam Dei securè recumbamus, nosq; ei permittamus: scientes, & omnium ipsum esse moderatorem ac rectorem sapientissimum, & nobis Patrem benignissimum: ideoq; curaturum, vt omnia felicem sortiantur exitum. Quòd si quid triste accidat, tamen id quoq; nobis in bonum, vt alia omnia, cooperaturum. Sicut Ioseph fratribus suis dicit: Vos cogitastis de me malum, Dominus autem conuertit illud in bonum.

De Libero Arbitrio, seu viribus humanis.

Quis est scopus & status huius disputationis de Libero Arbitrio?

NON quaritur, an voluntas aliquid agat, vel prorsus sit otiosa, cùm valdè sit negotiosa semper. Nec etiam, an volun-

voluntas, adiuta gratia Dei, & auxilio Spiritus sancti, bonum operetur, & mota efficaciter à Deo, consentiat. Nec hoc quaritur, num in conuersione hominis, boni motus adesse, & voluntas consentire debeat. De his enim nemo ferè dubitat. Sed hoc est περιόμενον: Vnde haec omnia existant? Num voluntas ex sese, suisq; viribus, ista habeat, ut consentiat, & oblatam gratiam accipiat? Et ita: num voluntas, nondum reformata, bonum velit, se ad illud accipiendum preparare, atque oblatum accipere possit, sine peculiari Spiritus sancti adminiculo? Non.

f. 67.

περιόμενον

Nos Scriptura sacra testimonijs nixi & freti, negamus haec, & postea refutabimus.

Quid est hominis Liberum Arbitrium?

Est potentia, seu facultas mentis, vel intellectus & voluntatis: qua haec sua sponte expetit, vel reijcit ea, quae ratio iudicat, & sic liberè obtemperans vel repugnans iudicio rectae rationis, imperans inferioribus viribus, videlicet, affectibus cordis & sensuum. Ad quod etiam vires requiruntur praestandi bonum, quod ratio discernit, & voluntas eligit: vnde Medea dicit: Video meliora proboq; deteriora sequor.

Quae

Quæ sunt eius partes?

Duæ. Quæ? Intellectus, & Voluntas.

Quod est subiectum Liberi Arbitrij?

Ipsa hominis anima, cuius potentiæ sunt, intellectus & voluntas.

Sunt ne potentiæ istæ animæ per peccatum corruptæ?

Hanc q̄stionē refer ad fol. 65. hoc sig. #

Retinet homo semper Liberum Arbitriū, hoc est, intellectum & voluntatem. Sed quoad vires, quæ sunt in intellectu & voluntate ad bonum, amissæ sunt illæ per lapsum primorum parentum: & secuta est horribilis illarum virium corruptio.

Quæ igitur est illa naturæ & virium in homine corruptio?

Hanc eodē. #

In intellectu est cæcitas in rebus spiritualibus, vt Deum agnoscere, & viam ad vitam æternam videre non possit. In voluntate est auersio à Deo, vt verum bonum cœleste & spirituale non velit: nec se ad gratiam præparare, eamúe oblatam, ex se suisq́ viribus apprehendere possit.

F

Quo-

Quotuplex ergo est hominis consideratio in hac vita?

Quadruplex est eius status. 1. ante lapsum. 2. post lapsum, ante reparationem & conuersionem. 3. in ipsa conuersione, vel regeneratione. 4. homines regenerati.

Quid de his singulis sentis, & quomodo se habet in illis liberum Arbitrium?

1. *De primo homine, ad imaginem Dei condito, in integritate & innocentia, ante lapsum, testatur Scriptura, quòd Deus illum*

Eccles. 7. *fecerit rectum: qui videlicet Deum verè,*

Ad. ante lapsum *quoad Essentiam & voluntatem, cognouerit, illiq; obedire facilè, si modò voluisset,*

Ephes. 4. *potuerit. Ad imaginem siquidem Dei conditus fuit, in iustitia & sanctitate vera, obedientia omnium virium, mentis & corporis, erga Deum.*

post lapsum. 2. **Quid manet in homine non regenerato virium, post lapsum primorum parentum?**

Anima cum suis potentijs, intellectu videlicet, voluntate, & sensu. De substantia autem mentis & voluntatis, siue liberi arbitrij,

bitrij, quæstio non est: sed de qualitate, facultate, & viribus. De his igitur pronunciamus: harum potentiarum vires ad bonum spirituale esse corruptas, & penitus amissas, ac planè mortuas, Ephes. 2. Cùm essetis mortui in delictis & peccatis vestris.

Qualis igitur iam est homo post lapsum, ante regenerationem: & quæ in eo reliqua voluntatis libertas?

Distinguo actiones hominis in externas, seu ciuiles, vel Politicas, atq; Oeconomicas, quæ rationi sunt subiectæ: & in spirituales, seu Theologicas.

Quid potest homo iam in externis actionibus ante regenerationem?

In intellectu, reliquum est discrimen honestorum & turpium, quod ad ciuiles actiones. Et voluntas potest vtcunq; regere locomotiuam potentiam, ac præstare disciplinam externam. Potest item homo non renatus, viribus liberi sui arbitrij, verbum Dei audire & meditari: sed non intelligere.

Quæ ver'o in spiritualibus actionibus vires sunt hominis non renati?

Intellectus planè cœcus est, carens vera Dei notitia, nec essentiam eius, nec voluntatem agnoscens: ita, vt verbum Dei oblatum, auditum & meditatum, intelligere non possit: sed illi planè sit stultitia. Sicut Apostolus de sapientibus huius mundi dicit, quòd Deum per sapientiam non intellexerint. Et generalem ac vniuersalem addit sententiam: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*: stultitia enim illi est, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Imò, *Omne figmentum cordis humani, tantummodò malum est, semper, à pueritia: adeò, vt non simus idonei, cogitare aliquid boni ex nobis, quasi ex nobis.* Sed seruus est peccati, & captiuus Satanæ.

f. 67. 1. Cor. 1.

1. Cor. 2.

Gen. 6.

2. Cor. 3.

Voluntas aũt auersa est à Deo, hostis eius, & inimicitia aduersus ipsum, quem cum sua Lege odit. Nec vult, nec potest præstare obedientiam. Affectus vel sapientia carnis mors est, & inimicitia aduersus Deum. Legi Dei non est subiecta, siquidem NEC POTEST quidem. Adeò, vt omnes vires hominis ad bonum planè sint emortuæ.

Rom. 8.

f. 94. oēs et clinare rūler. c. 17. p versū ē cor sup̄ ōia & cōtumno sum.

Volens ne homo peccat, an nolens?

Volens peccat, & est malus. Peccatum enim,

enim, nisi sit voluntarium, peccatum non est. Quod tamen de Actualibus tantùm nostris est accipiendum, non etiam de Originali: licet de primo Adæ & Euæ peccato, quoq; verum sit, quod tamen in ipsis fuit Actuale.

Quomodo voluntas hominis, seu liberum Arbitrium, se habet in conuersione: actiuè ne, an verò passiuè?

Respectu gratiæ extrinsecus aduenientis & præuenientis, Voluntas merè passiuè se habet. Quia omnes eius vires, quoad spiritualia, sunt extinctæ, quibus se præparare ad gratiam, vel eam oblatam ex sese accipere possit. Sumus enim mortui in peccatis. Et, quod peius est, aduersamur. Sensus enim carnis non solùm mors est, sed etiam inimicitia aduersus Deum, Rom. 8. Dicitur autem passiuè se habere in sui conuersione: quia nihil facit voluntas in conuersione, sed patitur Deum in se agere & operari, donec conuertatur. Postea voluntas regenerata & renouata, consentit. Et homo conuersus, agit per, & cum Spiritu sancto, in operibus bonis Deo placentibus. Et sic sumus cooperarij gratiæ.

Quæ & quot sunt causæ efficientes conuersionis hominis?

Vna est, nempe, Deus per Spiritum sanctũ,
Ezech. 36. *de quo habetur in Propheta: Auferam cor lapideũ de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponã in medio vestri: & faciã, vt in præceptis meis ambuletis.*

Quid igitur verbum Dei?

Instrumentalis causa est, quo, tanquam suo Organo, Spiritus S. vtitur. Rom. 1. Euangeliũ potentia Dei est, ad salutem omni credenti. Et iterum, 10. Fides ex auditu: auditus PER verbum Dei. Gal. 3. Hoc solum à vobis discere volo: ex operibus Legis accepistis Spiritũ, an ex auditu fidei? per verbum enim vocale, & Sacramenta Spiritus sanctus est efficax, & operatur in cordibus hominum pœnitentiam, fidem, nouasq; vires ad benè operandum.

De homine regenerato.

4. loco.

4. *Quartus hominis status est sub gratia Dei, per & propter Filium Dei, qui tollit peccatũ mundi, satisfecit Legi diuinæ, placauit iram Patris cœlestis sua passione, destruxit opera Diaboli, & captiuam duxit captiuitatem, imaginemq; Dei, in homine per peccatum amissam & deletam, ipse, qui est Essentialis*

Dei

Dei Patris imago, restaurat ac reformat, me-
tu & efficacia, qua effundit in mentes et cor-
credentium, Spiritũ sanctum. Sicut Pau-
inquit: Renouamini Spiritu mẽtis vestræ, Ephes. 4.
induite nouum hominem, qui secundũ De-
creatus est, in sanctitate & iustitia vera.

Quid igitur fit in regeneratione?

Non creatur noua substantia, sed in illa
mi motus creantur, sublata ex mente vel
intellectu, ignorantia Dei, & ex voluntate,
contumacia. In quorum locum succedit, per
Spiritum sanctum, vera Dei agnitio, & obe-
dientia viuendi iuxta Dei voluntatem, in
Lege ipsius expressam.

Regeneratur ne homo omni ex parte?

Non. Manent enim etiam in renatis, &
ctis omnibus, quàm diu in hac mortali
ita degunt, reliquiæ veteris hominis, car-
is, concupiscentiæ, & peccati, quæ perpe-
ni, donec hîc viuitur, homini etiam renato
ut molestæ, quæq; faciunt, vt non possint re-
ni, in hac vita, Legi Dei perfectè satis-
cere: sed omnia, etiam bona, illorum ope- Esa. 64.
his peccatorum reliquijs & sordibus con-

taminentur. Hinc etiam luctæ illæ carnis & Spiritus in sanctis, quæ iam superiores euadunt, iam succumbunt. Sicut Paulus de seRom. 7. nato dicit: Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio. Et iterum: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

Qui sunt effectus liberi Arbitrij?

Voluntas adiuta gratia Dei & auxilio spiritus S. bona opera.

In homine renato, quatenus renato, vera Dei agnitio, fides, inuocatio, inchoata obedientia, Deo & hominibus præstanda. Quia verò (vt dictum est) homo in hac vita non omni ex parte regeneratur: multum enim carnis remanet: ideo etiam imperfecta sunt hæc omnia.

Quòd si, vt suprà dictum est, homo in spiritualibus nihil potest, sed planè est mortuus: ergo frustranea sunt admonitiones, correptiones, minæ & pœnæ?

Minimè. Quædam enim possumus facere: videlicet audire Verbum Dei extrinsecus, illudq; non contemnere, neque blasphemare, non contrarium facere, præstare externam disciplinam. Quòd si quis hæc facere

&

rectè præstare nolit, non erunt frustranea mi-
næ, sed sequuntur iustæ pœnæ. Quæ vt caue-
antur, comminationes additæ rectè proponũ-
tur, & pœnæ irrogantur violantibus disciplı-
nam, quam præstare poterant.

Quæ verò præstare non possumus, in man-
datis Dei à nobis requisita, agnoscamus, quid
nobis desit, peccata nostra deploremus, & vn-
de remedium & auxilium sint petenda, discа-
mus.

Quæ sunt pugnantia cum libe ro Arbitrio:

Errores Pelagianorum veterum, & re-
centium, nempe Scholasticorum & Papista-
rum: qui fingunt, naturalia, id est, vires ho-
minis esse integras, eisq; hominem se ad gra-
tiam posse præparare, ac Legi Dei satisface-
re. Item Synergistarum illorum, qui docent, in
homine adhuc aliquid virium esse reliquũ, nec
omnia esse corrupta, aut penitus hominem ad
spiritualia emortuum: sed habere aliquid, ita
vt, etsi nõ possit propriis se viribus erigere, ta-
men accedente aliquo Spiritus S. motu, se ite-
rũ ad Deum conuertere possit. Hominẽ ex se,

suisq; viribus, posse consentire & cooperari, & oblatam gratiam, sicut & repudiare, ita et accipere: cum tamen minimè par sit ratio vtriusq;. Item, Enthusiastarum, fingentium, Deum immediatè hominem conuertere: Deum in conuersione vi cogere electos & trahere, & sic violentam & furiosam architectari conuersionem. Hoc enim fit per praedicationē verbi Dei, vbi Deus operatur fidem per Spiritum sanctum, & facit ex nolentibus volentes. Item, formulā vsitatā: Trahit Deus, sed volentem. Et: Hominis voluntas non est otiosa in conuersione, sed agit aliquid.

5. loc.

De viribus humanis in vita beata quid sentis?

In resurrectione mortuorum plena & omnimoda fiet virium amissarum, & imaginis Dei reparatio & restitutio, & quidem perfectio maior, quàm in prima creatione, adeoq; tanta, quanta in hominem potest cadere: ita, vt ne quidem possit velle peccare, & malum, quod homo primus potuit, & malè hac sua libertate vsus est: sed in bono confirmabitur, quemadmodum Angeli beati, qui in sanctitate & iustitia concreata perstiterunt, sunt confirmati.

De

De peccato.

Quid Peccatum significat?

BReuis & perspicua extat apud Ioannem peccati descriptio: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Id est: peccatum est, quicquid pugnat cum lege Dei. Vbi peccati vocabulum, in genere accipitur, & pro Originali, & pro Actuali peccato. 1. Ioh. 2.

Quid est Peccatum?

Peccatum, est defectus, vel inclinatio, aut actio, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, damnata ab ipso, faciens reos iræ Dei, & pœnarum temporalium & æternarum, nisi facta sit remissio, propter Filium DEI mediatorem, fide apprehensum.

Quæ sunt causæ peccati?

Quærendæ sunt causæ proximæ peccatorũ, & non remotæ. Sunt itaq; duæ causæ peccatorum propinquæ: prior, Diabolus impellens: posterior, voluntas hominis consentiens, & non Deus.

Proba, Deum non esse causam peccati?

Teneantur hæc de re firma hæc Scriptu-

ræ ſacræ teſtimonia. Gen. 1. Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valdè bona.

Deut. 32. Deus abſq; vlla iniquitate, iuſtus & rectus.

Pſalm. 5. Non volens iniquitatem, tu es Deus.

Cùm enim Deus ſummum ſit bonum, adeoq; bonitas ipſa, iuſtitia, & norma immota iuſtitiæ: impium eſt, & blaſphemum, Deum peccati authorem facere.

Proba, Diabolum authorem & impulſorem eſſe ad peccatum.

Gen. 3. Per ſerpentem, quo inſcio ad deceptionem abuſus eſt, perſuadet Satan Euæ, vt de pomo vetito comedat. Ioan. 8. inquit Chriſtus: Diabolus mendax eſt, & pater mendacij. Item, homicida ab initio, id eſt, primus author mendacij, 1. Ioan. 3. Ab initio Diabolus peccat.

Quomodo probas, hominem eſſe cauſam peccati?

Ibidem Gen. 3. Euæ ſuadenti Diabolo, & impellenti, conſentit. Sicut Rom. 5. dicitur: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Poſtquam enim primi noſtri parentes Satanæ ſuadenti acquieuerunt, à Deo turpi-

turpiter & voluntariè deficientes, eius inimici facti sunt: Et non se solos, sed totam posteritatem, ex se nascituram, in ineuitabilem peccati necessitatem coniecerunt.

Quia genuerunt liberos ad suam imaginem. Gen. 5. *Fuerunt enim primi parentes radix ac stirps totius humani generis, quod inde originem traxit. Et sicut acceperunt dona, non tantùm pro se, sed etiam pro tota posteritate: ita etiam non tantùm ipsi sunt eis priuati, sed etiam in ipsis tota posteritas ea amisit. Et sic* Epheſ. 2. *naturâ omnes filij iræ.*

Quotuplex est peccatum?

Duplex: Originale, & Actuale.

Quid est peccatum Originale?

Peccatum Originis, est carentia, seu priuatio iustitiæ originalis concreatæ, vel, vt alij dicunt, debitæ ineſſe, atque corruptio horrenda totius hominis, & concupiscentia praua. Qua mala omnia in omnes homines hinc per successionem à primis parentibus propagantur: propter quæ etiam sunt obnoxij tyrannidi Diaboli, sub ira Dei, rei mortis æternæ, & damnationis perpetuæ, nisi fiat remis-

remissio propter Christum, propter quem condonantur & teguntur baptisatis.

Proba hanc definitionem Scripturæ sacræ testimonijs.

Gen. 5. Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem SVAM. Iob. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?

Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, hoc est, ex semine, & massa peccatrice, concepit me mater mea.

Est ne peccatum Originis substantia, vel Accidens?

Status controuersiæ est: Vtrum inter peccatum Originis, & hominem ipsum, nullum sit discrimen. Respondeo. Ingens esse discrimen inter hæc duo, quæ sunt diuersissima. Hominem enim Deus, adhuc etiam peccato corruptum, pro sua creatura agnoscit. Manus tuæ, Domine, plasmauerunt me, dicit Iob. 10. Hominem peccatorem Deus redemit, iustificat, saluat, & ad vitam æternam resuscitabit, à peccatis penitus absolutum & liberatum. Peccatum verò non item.

Et Scriptura ipsa discernit inter corruptum

ptum hominem & ipsam corruptionem. Video, inquit Apostolus, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Roman. 6. Non regnet igitur peccatum IN mortali vestro corpore, ad obediendum peccato. Iam autem quicquid est in homine, est aut substantia, aut accidens. In homine autem corrupto nihil est substantiale, nisi anima & corpus: Illa est substantia spiritualis, hoc corporea. Reliqua omnia, quæcunq; aut quicquid sunt, accidentia sunt. Peccatum Originis nec corpus est, nec anima corrupti hominis: (hæc enim opera Dei sunt, ab ipso creata.) Peccatum ergo Originis substantia esse non potest.

Est autem accidens non leue, aut in hac vita separabile, sed Deus solus, absq; deletione omnimoda substantiæ nostræ, separabit illud in resurrectione.

Quod est subiectum, in quo peccatum Originis hæret?

Est totus homo, anima & corpore, totaq; eius substantia, cum omnibus viribus corporis & animæ, superioribus & inferioribus, quibus hoc malum adiacet, adeò, ut nulla venula sit in toto hominis corpore, quam malum

malum hoc non peruaserit. Sic animam quoque deprauauit horribis ista immundities & corruptio: Vnde opera carnis varia recenset sacra Scriptura.

Sicut lepra non est propria substantia aut aliquid extra corpus hominis subsistens sed morbus est, inficiens totum corpus: Ita peccatum Originis nihil est extra hominem, imò nec in hominis substantia positiuè aliquid: sed vitium est, malum, corruptio, deprauatio, lepra spiritualis totius substantiæ hominis.

Quid est concupiscentia?

Non est fomes tantùm, ad peccatum incitans, & facilè tantùm concipiens: sed est horribilis ἀταξία, seu inordinatus motus & impetus, in omnibus viribus hominis, contra legem Dei. In mente cæcitas: in voluntate auersio à Deo: & in omnibus viribus, inferioribus, contumaci, pugnans cum mente & lege diuina.

Qui sunt effectus & fructus peccati Originalis?

Ipsa naturæ humanæ corruptio, hoc est, defectus, amissio, vel priuatio imaginis Dei, & qua in eius locum successit, concupiscentia

ria virtutum oppositorum, cæcitas & caligo in mente, dubitationes de Deo, de prouidentia, & voluntate Dei, auersio voluntatis à Deo, securitas carnalis, contumacia omnium affectuum aduersus Deum, summa totius naturæ humanæ, & omnium virium deprauatio, quæ postea gignit Actualia peccata omnis generis, quæ ex originali, tanquam fonte & scaturigine, oriuntur. Sicut Christus inquit: Ex corde exeunt cogitationes Matth. 15.
malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Reatus, quo omnes homines rei sunt, propter lapsum primorum parentum, & ipsi quoque ex eis propagati, in peccatis concipiuntur & nascuntur. Item, iusta Dei ira aduersus totum genus humanum. Tyrannis Diaboli. Fons & scaturigo omnium peccatorum, errorum & scelerum, interiorum & exteriorum, contra primam & secundam tabulam Decalogi. Mala conscientia. Omnes denique calamitates generis humani innumeræ, morbi, bella, mors temporalis & æterna, infernus, & damnatio perpetua. Gen. 2. Quacunque die comederis de arbore scientiæ boni & mali, mor-

li, morte morieris: quæ omnem complectitur mortem.

Manetne, an verò remittitur peccatum Originis in Baptismo?

Vtrumq;. Manet peccatum Originis, vel concupiscentia, suâ naturâ, & actu, quemadmodum & corruptio naturæ humanæ. Sed in Baptismo tollitur reatus, id est, remittuntur in Baptismo omnia peccata, etiam morbus peccati Originalis: Ita, vt propter illa homo non damnetur, verùm imputetur illi iustitia Christi. Hoc modo manet morbus, nempe concupiscentia, & peccatum Originis, suâ naturâ, & actu: sed remissa ac sublata, reatu.

Augustin. de Nupt. & concupisc. lib. 1 ca 15.

In quam sententiam D. Augustinus dicit: Concupiscentiam carnis in Baptismo dimitti, non, vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.

Estne concupiscentia, quæ in renatis est post lapsum reliqua, sua natura peccatum damnabile?

Sciendum est, concupiscentiam, etiam in renatis reliquam, suâ naturâ peccatum esse damnabile. Quid naturam habet peccati, pugnans cum lege Dei: Non concupisces. Est autem

autem peccatum, quicquid pugnat cum lege Dei. Ergo & concupiscentia peccatum est. Et Apostolus Rom. 7. Concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset: Non concupisces.

Cur remisso peccato Originali, mors, quæ eius pœna est, manet: cum sublata causa, tollatur effectus?

Quia peccatum, vel corruptio, manet in natura hominis, quæ non reipsa in hac vita, vt dictum est, tolluntur: ideo mors quoque ipsa manet. Tollitur enim peccati tantùm formale, reatus scilicet, imputatione, id est, remittitur. Interim verò suâ naturâ, & re ipsa, materiale nempe, manet: sed est remissum, vt propter illud in Christum credens non damnetur. Quare, etiam mors, morbi, & reliqua calamitates manent.

Quæ sunt pugnantia cum peccato Originali?

Pelagianorum veterum & recentium, ac Scholasticorum opiniones, quòd commenti sunt, naturalia esse integra: peccatum Originis esse tantùm reatum: Concupiscentiam

non esse verè peccatum, sed tantùm fomitem, & conditiones Naturæ, næuum aut maculam: Non omnia bona, ad spirituales actiones pertinentia, esse amissa.

Similiter & Manichæorum errores: Quòd natura humana initiò bona creetur, & postea extrinsecus peccatum Originis, tanquam substantiale quid, per Satanam affundatur: sicut venenum vino admiscetur. Peccatum Originale nõ esse aliquid in natura, sed esse ipsam hominis naturam, nempe animam rationalem.

Quomodo differt Originale peccatum ab Actuali.

Quemadmodum arbor & fructus: vel radix & rami. Originale, est instar arboris & radicis, ex qua rami & fructus vitiosi enascuntur, peccata scilicet Actualia: non tantùm exteriora, sed etiam interiora. Quẽadmodũ ex vena scaturiginis infecta, scaturrit perpetuò, & ebullit aqua vitiata & corrupta. Ex corde, inquit Christus, exeunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, blasphemiæ, &c.

Math. 15.

DE

De peccato Actuali.

Quid est peccatum Actuale?

Peccata Actualia, sunt vitiosæ & corruptæ Naturæ fructus: videlicet, omnis affectus, cogitatus, omne dictum & factum contra legem Dei.

Quid in peccatis Actualibus considerandum?

Persona & opus sunt complectenda. Nam si persona sit vitiosa, opus DEO non placet, quia sine fide: Porrò quicquid ex fide non est, Rom. 14. *peccatum est. Respicit enim Deus primùm personam operantis, & ex illa opus æstimat. Quod si persona sit per fidem in gratia, opus quoq; secundum mandatum Dei factum placebit. Si verò persona fide careat, quantumcunq; opus sit per se spectiosum, placere non potest. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera eius, non respexit. Ex persona itaq; facientis, de operibus iudicandum.* Gen. 4.

Quid reddit personam Deo acceptam?

Fides, qua & persona, & opera ex fide fa-

Heb. 11. *cta, Deo placent, sicut scribitur: Fide Abel pleniorem hostiam Deo obtulit.*

Quid reddit personam vitiosam?

Incredulitas, sine fide enim impossibile est placere Deo: ideoq; gentilium, & omnium vera fide carentium, opera, etiamsi in speciem bona videantur: tamen Deo non placent. Quia persona, cùm fide careat, non est apud Deum in gratia.

In nobis originale manu ut fons precedit actualia peccata secus fuit in Adam

De peccato mortali & veniali.

Peccata Actualia diuiserunt in mortalia & venialia.

Quid est mortale peccatum?

Gal. 5. *Est genus peccati, vel actionum, quæ sunt eiusmodi, ut qui eas admittunt, excidant gratia Dei, & desinant esse iusti, ac damnentur, nisi resipiscant: & aliâs dicitur peccatum regnans.*

Dicuntur autem mortalia, quia meritum mortis æternæ suâ naturâ inferunt.

In impijs & non renatis omnia peccata sunt mortalia, Originale, & Actualia omnia

siue

siue interiora, siue exteriora. Propter hæc enim omnia & singula, rei sunt æternæ mortis & damnationis.

Quid est veniale?

Est concupiscentia, siue, quod idem est, peccatum Originis, quod remissum est credentibus, vt propter illud, quamuis adsit, non damnentur. Deinde, ex peccato Originis orta dubitationes, affectus, &c. Quibus tamen rectè repugnant, ne ruant contra conscientiam, dolent de ijs, & veniam petunt. De quibus Apostolus: Nulla nunc damnatio in his, qui in Christo sunt, qui non secundum carnem ambulant. Rom. 8.

Dic aliam diuisionem Actualium.

Alia sunt interiora, alia externa.

Quæ sunt interiora?

Affectus, cogitationes, inclinationes praua, & ipsa concupiscentia, in renatis reliqua.

Quæ sunt externa?

Sunt dicta & facta, contra legem Dei: vt execrationes nominis Dei, blasphemiæ, turpiloquia, maledicentia, & alia opera carnis, quæ qui faciunt, regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 6. Gal. 5.

De peccatis omissionis, & affectatæ ignorantiæ.

Quæ sunt peccata omissionis?

Cùm ea, quæ Deus à nobis verbo suo requirit, & nos ratione officij facere tenemur, negligimus: ignauia in faciendis operis vocationis propriæ, in omni vitæ genere. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, & Ier. 48. *sic etiam negligenter. In operibus misericordiæ remissum esse: de quo Ambrosius: Si non pauisti, occidisti. Et sic de cæteris idem esto iudicium.*

Quid sunt peccata commissionis?

Peccata commissionis vocantur, cùm quid facimus, quòd facere non debemus, videlicet lege Dei interdictum.

Affectata ignorantia est, cùm quis non studet cognoscere doctrinam cœlestem: quod Deus requirit ab omnibus, cœlitus clamans de filio: Hunc audite.

Hæc affectata ignorantia, peccatum est mortale. Ex qua Pharisæi Christum persequebantur, damnabant, occidebant.

Alia

Alia sunt peccata ignorantiæ non affectatæ, sed probabilis, quæ fiunt ex ignorantia rei propriæ, vel alienæ, quam ad se non pertinere quis arbitratur. Vbi excusatur à tanto, sed non à toto, faciens. De quibus Leu. 9. vbi pœna etiam mitigatur, per ignorantiam probabilem peccantibus.

Recita adhuc aliam peccatorum distinctionem?

Res supra modum fœcunda est peccatum. Dicuntur ergo quædam voluntaria, quædam involuntaria. Voluntaria sunt omnia, quæ ex proposito, scientes & volentes, perpetrant homines. Involuntaria sunt, quæ nobis inscijs, & nihil tale agentibus, obrepunt, quibusque pij, animaduertentes, resistunt & dominantur.

Sunt & externa, quæ fortuitò accidunt, vbi voluntas peccandi abest, nec fiunt ex proposito. Vt cædes fortuita, cuiusmodi exempla Moses in lege recitat, de frondatore, cui ascia de manubrio effugit, & sic socium occidit. Talis exilio mulctabatur, vsque ad summi Pontificis mortem.

Vnde & quomodo peccata agnoscuntur?

Ex lege, Rom. 3. Ex lege cognitio peccati. Ibid. 7. Concupiscentiam ignorabam, nisi lex dixisset: Non concupisces.

De Lege.

Quot sunt principales partes doctrinæ cœlestis?

Duæ. Quæ? Lex. & Euangelium.

Quid significat vocabulum Lex?

Latini, à ligando dictum sentiunt. Quia lex obligat eos, quibus lata est, vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Alij à legendo, quòd publicè legantur leges.

Apud Heb Thorah generaliter doctrinã cœlestem significat, quæ docet, quid faciendum & quid omittendum, & credendum sit, Esa. 2. *à verbo Iarah, id est, docuit. Et sic commune genus est ad legem & Euangelium.*

Deinde, lex pro libris Mosaicis accipitur, quibus ea descripta continetur. Specialiter verò, & propriè, lex in sacra Scriptura accipitur, pro doctrina Mosis, quæ salutaria

uria præcepit: & sic ad omnes & singulas eius species transfertur: de quibus postea.

Quotuplex est Lex?

Duplicem docendi causa facimus, à causis efficientibus immediatis: Diuinam, & humanam, quæ probabili ratione à Magistratu Politico est lata, quæ vel occasiones seruandi Legem Dei, vel circumstantias, in executione Legis Dei, & puniendis delinquentibus, sancit. De qua tamen specie, nostri instituti non est dicere.

Quid est diuina?

Una est, & eadem Lex Naturæ cum Decalogo, quæ Naturæ Lex diuinitus omnium hominum mentibus est inscripta: nisi quòd per & propter lapsum primorum parentum sit obscurata.

Quid docet Lex Naturæ?

De Deo, quòd sit æternus, iustus, sapiens, omnipotens, colendus, inuocandus, eiq; obediendum, vt omnes Gentes sint inexcusabiles. Item, discrimen honestorum & turpium. Et hinc de officijs vitæ humanæ, quæ Christus hac sententia expressit: Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.

Quid est Lex Dei?

Est doctrina, primùm hominum mentibus in creatione diuinitus inscripta: & postea à Deo per Mosen repetita, docens & præcipiens, quales nos esse oporteat, quæ facienda & omittenda sint: requirens perfectam obedientiam interiorem & exteriorem: promittens bona, ea seruantibus: ac denuncians iram Dei, & pœnas temporales & aternas, omnibus, eam perfectè non præstantibus.

Promissiones & comminationes legi additæ, vbi extant?

Exo. 20. Leu. 26. Deu. 27. 28. & alibi passim: sed locis dictis, summatim collectæ sunt.

Quid est Lex Mosaica?

Est doctrina, diuinitus per Mosen tradita deinde copiosius per Prophetas, Christum, & Apostolos repetita & exposita, perfectam præscribens viuendi rationem Israelitis, in Ecclesia, Politia, & Oeconomia: docens & præcipiens, quales nos esse oporteat, &c. Sicut in præcedenti Legis Dei definitione additur & habetur.

Quo-

Quotuplices sunt Leges Mosaicæ?

Triplices. Quæ? Morales: Iudiciales sive forenses, aut Politicæ, Weltlich Recht: *& Ceremoniales*, Kirchenrecht/ oder Kirchenordnungen.

Quid est Lex Moralis, sive Decalogus?

Est doctrina diuinitus tradita, præcipiens perfectam obedientiam erga Deum, & charitatem erga homines: præmia statuens obedientibus, pœnas autem decernens, temporarias & æternas, inobedientibus & transgressoribus.

Quæ sunt cognata?

Riuuli Legis sunt, Ethica, præcepta moralia de officijs, & virtutes: sententiæ honestæ de Deo, de vita & moribus in Politia & Oeconomia. Leges item omnes sapientum, & gnomologiæ, vbicunq; extent.

Pugnantia quæ?

Sunt omnes errores, & corruptelæ veræ sententiæ de Lege, & peccata pugnantia cum singulis præceptis: vt Idolomania multiplex omnium Gentium & populorum omnibus

nibus temporibus. Item, opiniones falsæ de Lege Dei, Phariſæorum veterum & recentium: quòd tantùm requirat externam diſciplinam, quòd obſeruatu facilis, eamq; homines poſſe implere: quòd homines eius obſeruatione ſint iuſti coram Deo, & mereantur vitam æternam. Quòd Sophiſtæ docuerunt, Patriarchas Legis naturæ, Iſraelitas Legis Moſaicæ, Chriſtianos nouæ Legis Euangelicæ obſeruatione iuſtificatos & ſaluatos. Chriſtum nouam, & perfectiorem Legem, quàm Moſen, tuliſſe. Hominem ex puris naturalibus Deum poſſe diligere ſuper omnia: totam Legem implere, quoad ſubſtantiam actus, licet non quoad intentionem præcipientis. Hominem plus poſſe facere, quàm Deus in Lege ſua præceperit, &c. Furor præterea Antinomorum, quòd Lex non ſit docenda in Eccleſia. Item, omnia peccata, quæ ſunt ἀνομία. Leges denique omnes pugnantes cum Lege diuina, quæ norma eſt & regula iuſtitiæ.

1. Ioan. 3.

Cùm eadem ſit Lex Naturæ, cum Decalogo: quid opus fuit hunc promulgare?

Quia

Quia notitiæ illæ Legis Naturæ, in creatione hominum mentibus inscriptæ, per & propter peccatum Originis sunt obscuratæ: ideo renouari oportebat lato Decalogo. Primùm, ut scirent homines, Leges Naturæ veræ esse diuinas. Secundò, ut notitia earum illustraretur. Tertiò, ut interiorem cordis immundiciem rectè agnoscere discerent homines.

Quid Deus in Lege morali, seu Decalogo requirit?

Dilectionem sui & proximi summam, perfectam, & ardentissimam. Leuit. 19. Deut. 6. In his duobus præceptis Lex pendet, & omnes Prophetæ. Sine, cultum Dei verum, in priori Decalogi tabula. Et bona opera, seu dilectionem erga proximum, in altera tabula, perfectissimam.

Iustificatur ne homo per Legem, eiusq; obseruationem?

Minimè. Proba? Paulus inquit: Affectus Rom. 8.
carnis mors est, & inimicitia aduersus Deum. Legi enim Dei non est subiectus: sed nec potest quidem. Item: Quod impossibile erat Legi (scilicet, vt hominem iustificaret) quia infirmabatur per carnem.

Item:

Rom. 3. *Item: Quia ex operibus Legis non iustificatur omnis caro coram illo.*

Gal. 2. Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus, nisi per fidem.

Quare nemo per Legis obseruationem iustificatur?

Quia nemo Legi Dei perfectè satisfacit. Sicut satisfacere, impossibile esse, probatum iam est.

Quare nemo Legi Dei suis operibus potest satisfacere, eamq; implere?

Quia requirit cordis mundiciem, Naturæ integritatem, & perfectam, non tantùm exteriorem, sed etiam interiorem, omnium virium hominis obedientiam, erga omnia mandata Dei.

Gen. 6. 8. *Iam verò omnes cogitationes cordis humani TANTVM MALÆ SVNT A PVERITIA. Et nemo est, qui possit*

Prou. 20. *dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato.*

Psal. 13. *Item: Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt, & non est qui faciat bonum non usque ad vnum.*

Quòd

Quòd si non possumus Legi Dei satisfacere: ergo ne Deus iniustus est, qui impossibilia à nobis exigit?

Non est ideo iniustus. Quia repetit à nobis quod suum est, & quod antea dederat primis nostris parentibus in creatione: tantas videlicet vires, quib. Legi Dei perfectè potuissent satisfacere, si voluissent. Vt si quis mutuò det alicui pecuniam, ille verò sua negligentia amittat & perdat, nec sit amplius soluendo: creditor tamen iniustitia argui non poterit, si & ab ipso, & ab haeredibus eius, debitum, & creditam pecuniam exigat.

Quot & qui sunt Legis vsus?

Primùm, tradita est Lex propter disciplinam, qua vult Deus omnes, etiam non renatos, coërcere. De quo Legis vsu Apostolus concionatur, cùm inquit: Lex est iniustis posita: videlicet, vt ea coërceantur, tanquam carcere, ne pro sua libidine euagari possint, sed in officio & obedientia retineantur. 1. Tim. 1.

Secundus vsus Legis est, quem habet in omnibus hominibus, qui est, vt ostendat, arguat, & accuset peccata, & propter illa perter-

perterrefaciat conscientias, & damnet. De
Rom 3. quo idem Apostolus loquitur: Per Legem cognitio peccati. Sicut autem speculum monstrat nauos, sed non tollit: ita etiam Lex, quæ est Pædagogus in Christum, qui tollit peccatum Mundi.

Tertium Legis officium est, quod habet in renatis, vt doceat, qui cultus & quæ opera Deo placeant, quibus obedientiam suam, gratitudinem, & fidem declarare debeant.

Obligatne Decalogus omnes homines: an verò abrogatus est, & quomodo?

Christiani per & propter Christum liberi sunt à Legis maledicto, condemnatione, & reatu. Rom. 8. Non estis sub Lege, sed sub gratia. Sed tamen non sunt liberi ab eius obseruatione vel obedientia, qua omnes homines obligantur.

Quomodo Lex impletur?

Bifariam. Primùm, imputatione per fidem, qua nobis, credentibus in Christum, imputatur eius obedientia & impletio, quam Legi ipse præstitit, non secus ac si nos ipsi satisfeciſſemus, teste Apostolo: Chri-

stus

sui est impletio Legis, ad salutem omni credenti.

Secundò, inchoatione. Deus enim inchoatam & imperfectam obedientiam à filijs, id est in Christum credentibus, pro perfecta accipit.

Hoc utroq; modo, Lex fieri & impleri dicitur per gratiam: imputatione scilicet gratiosa fidei, &, auxilio Spiritus sancti adiuuante, inchoatione.

Quid sunt Ceremoniales Leges Mosis?

Sunt ordinationes Ecclesiasticæ, siue ritus, quibus vtebantur Israëlitæ, institutis certis personis, Sacerdotibus, Sacramentis, sacrificijs, festis, Tabernaculo, & similibus, in publicis congressibus. Kirchenordnung.

Quis harum fuit vsus?

Hæ omnes Ceremoniæ, typi, umbræ, & conciones erant de Christo, eius passione, meritis, & beneficijs. Sacrificia, & ipse Summus Sacerdos, Christum, eiusq; sacrificium, quo seipsum obtulit pro peccatis hostiam Deo, adumbrarunt. Isa. 53. Atq; ita visibiles quasi, & oculares conciones de passione, & morte venturi Messiæ fuerunt.

Sunt ne abrogatæ istæ Ceremoniæ?

5. *Adueniente Christo, & opere redemptionis impleto, atq; sacrificio perfectissimo per oblationem corporis eius peracto, quo consummauit in aternum sanctificandos, aterna redemptione inuenta, abrogatæ sunt Ceremoniæ istæ.*

Quid sunt Leges forenses Mosaicæ?

Ea sunt, quibus Deus Politiam, & externas ciuiles actiones populi Israëlitici, additis certis pœnis, à Magistratu à se constituto, voluit gubernari, ac iustitiam ciuilem conseruari. Quas etiam ad ingenium & captum populi durissimæ ceruicis accommodauit.

Circa quas res versantur Leges istæ Politicæ?

Versantur circa contractus, delicta, mulctas, & similia.

Pertinent ne Leges forenses ad Christianos?

Non obligant Christianos. Quare? Tamen à Deo ipso, qui est fons sapientiæ, latæ sunt? Verum est, sed non nisi ad populum certum, Israëliticum nempe, pertinebant.

Hu

His enim lata & data sunt. Hic in illas Leges consensit, & super his Deus cum ipsis fœdus iniit. Exod. 24. Ex hoc tamen numero excipiuntur, quæ ad Decalogum pertinent: Vt, quæ de honore parentibus debito, & Magistratui exhibendo, loquuntur.

Quis fuit finis Politiæ Mosaicæ?

Vt esset certus populus & locus, in quo nasceretur promissus Messias. Ideo Deus elegit hunc populum in peculium, defendit, liberauit, in terram peculiarem collocauit, & tantisper mirabiliter seruauit Politiam illius, donec exhibueretur Messias: quem cùm recipere nollent, deleti sunt, cum sua Politia, quæ est euersa.

Cum Paulus legi iustificationem detrahit, de qua eius specie loquitur?

Non tantùm de ceremoniali vel forensi, vt quidam ex veteribus, & Pontificijs, docent: sed etiam, & quidem præcipuè de Morali vel Decalogo, loquitur. Hinc enim exemplum adducit, Rom. 7. Concupiscentiam peccatum esse nesciebam, nisi Lex dixisset: Non concupisces. Item: Lex iram

operatur, & facit peccatum supra modum peccans. Item: Ex Lege cognitio peccati.

De Euangelio.

EVangelij vocabulum significat bonum & latum nuncium. Isa. 52. Quàm pulchri pedes super montes Euangelizantium pacem, & annunciantium bonum.

2. Vulgò pro historia, seu libro Euangelij, vel Euangelistæ alicuius, accipitur: & hoc modo quatuor Euangelia ab Ecclesia numerantur, secundum quatuor Euangelistas.

3. Sumitur & pro pericope, id est, parte aliqua eius, quæ usitatè festis diebus publicè in Ecclesia legitur. Vnde Euangelia Dominicalia dicuntur.

4. Accipitur deinde pro toto Ministerio & doctrina Apostolis commissa, de omnibus Articulis, & materijs Theologicis, in tota sacra Scriptura, sicut Christus Apostolos ablegans, illis q; verbi Ministerium commendans, Marc. vlt. *dicit: Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Quid

Quid igitur est Euangelium?

Est doctrina, seu promissio, diuinitus ex arcano sinu Dei Patris per Filium prolata, qua gratuita Dei clementia, peccatorum remissio, liberatio è tyrannide Sathanæ, inferni, & morte æterna, iustitia, donatio Spiritus sancti, & vita æterna, gratis, omnibus promittitur & offertur, ac fide accipienda verè in Christum credentibus, per & propter ipsum exhibetur & donatur.

Qui sunt effectus Euangelij?

Vera Dei agnitio, remissio peccatorum gratuita, liberatio credentium à potestate Diaboli, morte, & inferno, iustitia, redemptio, iustificatio, sanctificatio: consolatio conscientiarum, quæ perterrefactæ sunt agnitis peccatis, & ira Dei: pax cum Deo, gaudium conscientiæ, donatio & gubernatio Spiritus sancti, vita denique ipsa æterna.

Quæ est summa Euangelij?

Credere Iesum Christum esse Agnũ Dei, tollentem peccata Mundi, Ioan. 1.

Item: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Quotuplices sunt promissiones in sacra Scriptura?

Duplices. Legales, & Euangelicæ.

In quo conueniunt?

Quòd vtraq; promissionem habent vitæ æternæ.

In quo autem differunt hæ promissiones?

Promissiones Legis sunt conditionales. Habent enim annexam conditionem perfectè seruatæ & impletæ Legis. Homo qui fecerit hæc, viuet in eis. Item: Si vis ingredi in vitam, serua mandata. Matt. 19.

Euangelicæ verò sunt gratuitæ, omni conditione carentes. Promittunt enim omnibus, in Christum credentibus vitam æternam gratis.

Quæ sunt, & vbi extant promissiones illæ Euangelicæ?

Prima extat Genes. 3. Semen mulieris, con-

conteret caput serpentis. Quæ deinde est repetita, & subinde, additis quibusdam circũstantijs, illustrata. Genes. 12.22.28. repetita est, & alligata ad Abrahami, eiusq; posteritatem: In semine tuo (qui est Christus) benedicentur omnes Gentes terræ. Gal.3.

Postea ad tribum Iuda, cùm plures essent filij Iacob, est alligata: & addita temporis circumstantia, quo Schilo, hoc est, Messias esset nasciturus, ablato sceptro, & regia dignitate à populo Israël. Deinceps Dauidi, eiusq; familiæ. 2.Sam.7.23. 1.Paralip.17. Loci quoque fit mentio, in quo Christus nasciturus esset, Mich. 5. Et tu Bethlehem Ephrata, parvula es in principibus vel millibus (vnum enim vocabulum in Hebræo est, quod vtrunque significat) Iuda, ex te egredietur, qui sit Dux populi mei. Gen. 49.

Dan. 9. Annus est numeratus & reuelatus. Post hebdomadas 72. (quæ sunt non dierum, sed annorum, singulis diebus pro anno computato, quæ faciunt annos 490.) Messias occidetur. Dauidi quoq; genus mortis est ostensum. Psal.22. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.

Huc pertinet cap. Isa. 7. Ecce virgo pregnans pariet filium, & vocabit nomen eius Emanuel, id est, Deus incarnatus. Ibid. 9. Puer natus est nobis: Filius datus est nobis. Et totum 53. Verè languores nostros ipse tulit. Posuit Dominus super eum omnium nostrûm iniquitates, &c.

Est'ne vnum & idem Euangelium, aut vna & eadem ratio consequendi salutem, omnibus temporibus?

Vnum est & idem Euangelium, omnibus temporibus, inde à mundi exordio: sicut vnica quoque, remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam aternam consequendi ratio: quæ est per fidem in Christum Iesum. Gen. 15. Credidit Abraham Domino, & reputatum
Rom. 4. *est ei ad iustitiam. Non est autem scriptum propter ipsum: sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum, Dominum nostrum, à mortuis: qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Ergo'ne

Ergo ne nihil interest inter nostram doctrinam & fidem, atque illorum, qui ante Christum natum vixerunt?

Respondeo. Quod ad substantiam & effectum attinet, nihil admodum interest: sed quod ad modum, nonnihil est discriminis. Semper enim magis magisq́ doctrina Euangelij de venturo Messia, est illustrata, & planius proposita, additis quibusdam circumstantijs, quibus explicaretur amplius. Deinde, quòd illi ante Christi aduentum in carnem, in venturum promissum Messiam crediderunt: nos verò in exhibitum. Eundem verò effectum sunt consecuti, quem & nos. Iesus Christus, heri, hodie ipse, & in seculum. Heb 13.
Et: Agnus occisus est ab origine Mundi. Apoc. 13.

Cum Deus omnes velit saluari cur non saluat? Cum dicatur Deus sui & non mutor: Consilium meum stat, & omnis voluntas mea fit. Esa. 14. 46. psal. 115.

Sunt ne Euangelij promissiones vniuersales.

Rx Deus duplicem vult. Voluntate et efficacia (quae bene placitum et consequens dicitur) quae semper fit: et approbante (quae antecedens et signi dicitur) quia Deus quod efficaciter non operatur licet sicut senior et non simulate velit: quia haec voluntas est determinata ad certum

Sunt vniuersales & gratuitæ. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Ezech. 33.

Bera dicit in confinium

Conuertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini, domus Israel? Ita media quae si omittantur non culpa Deo sed quoniam adscribatur

Matth. 11. *Venite ad me OMNES, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.*

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit MVNDVM, vt filium suum vnigenitum daret, vt OMNIS, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aternam.*

De discrimine Legis & Euangelij.

Quæ sunt discrimina vtriusque doctrinæ?

Primum, sumitur à notitia, & forma notitiæ vtriusq;. Lex præsertim moralis, de qua potissimum hîc agitur, omnibus naturâ est nota, omnium hominum mentibus indita, & Col. 1. *inscripta, in ipsa creatione. Euangelium verò,* 1. Tim. 3. *mysterium est & dicitur, absconditum à se-* 1. Cor. 1. 2. *culis. Item: prædicamus Christum crucifixum, stultitiam gentibus, & offendiculum Iudæis.*

Secundum, à materia, circa quam vtraque doctrina versatur. Lex est doctrina, tantùm præcipiens & mandans, quales nos esse, qua facere, & quæ omittere oporteat, requirens semper à nobis perfectam obedientiam.

entiam, accusans & damnans omnes, qui non perfectè eam seruant, ac omnia præstant, & sunt conformes legi. Euangelium verò, est promissio remissionis peccatorum, & vitæ æternæ propter Christum donanda, gratis, sicut etiam eam offert & donat, omnibus in eum credentibus.

Tertium, à promissionum forma & diuersitate. Lex enim habet promissiones vitæ æternæ, & bonorum temporalium: sed eius promissiones sunt conditionales, requirentes perfectam, interiorem, spiritualem, & exteriorem obedientiam & impletionem. Iuxta hæc testimonia: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, vt faciat ea. Fac hoc, & viues. Homo, qui fecerit hæc, viuet in eis. Deut. 27. Gal. 3. Luc 10. Rom. 10.

Euangelij verò promissiones sunt gratuitæ & vniuersales, per & propter Christum, eiusque obedientiam & meritum: qui dedit semetipsum λύτρον pro nobis peccatoribus: ex sola Dei misericordia & bonitate nobis offerentes remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam. Ioan. 3. Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Quar-

Quartum, ab effectu vtriusq; doctrinæ sumitur. Lex ostendit, arguit, & damnat peccata, non tollit: & denunciat iram Dei, ac omnis generis pœnas, non perfectè obedientibus: nec dat vires implendi eam, per legem enim agnitio peccati. At Euangelium ostendit rationem consequendi remissionem peccatorũ, iustitiam, & vitam æternam, per fidem in Christum: Subministrat Spiritum sanctum: erigit & consolatur conscientias perterrefactas voce legis, arguentis peccata, monstrato Christo mediatore. Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Quintum, ab obiectis. Lex proponenda est securis, Epicureis, impœnitentibus, & hypocritis, vt peccata illorum eâ arguantur, & monstrata magnitudine ac turpitudine peccatorum, & ira Dei aduersus illa, resipiscant à Diaboli laqueis. Euangelium verò, non nisi perterrefactis agnitione peccatorum, & iræ Dei aduersus illa, ac resipiscentibus, proponendum. Hi enim non amplius sunt Lege terrendi, ne ad desperationẽ adigantur: sed erigendi & consolandi sunt dulcissimis Euangelij promissionibus de Christo. Nam Deus non vult linum fumigans extingue-

tinguere: sed misit filium suum hominem factum, ad annunciandum afflictis: ad medendum contritis corde: ad predicandum captiuis indulgentiam, vinctis apertionem carceris, vt predicet annum placabilem Domino.

Aliâs non sunt contrariæ doctrinæ, sed disparatæ, & diuersæ, ac subordinatæ: ita, vt differant quidem, sed non pugnent inter se.

De gratuita fidei iustificatione.

Quia hic locus principalis est, vt solidius tractetur, analysi vtemur: de Gratia, & Fide, & Iustificatione docentes.

Quare dicitur Gratia?

Quia gratis datur, hoc est, sine merito & præmio. Gratia, inquit Augustinus, non est gratia vllo modo, si non datur gratis omnino modo.

Quid significat vocabulum Gratiæ?

In disputatione Paulina de iustificatione hominis peccatoris coram Deo, non significat Qualitatem, seu habitum infusum, ani-

ma

mæ inhærentem, quemadmodum Scholastici docent: sed gratuitum Dei fauorem, eiusq; immensam misericordiam, acceptionem & beneuolentiam, quæ gratis peccatores complectitur propter filium, eosq; in gratiam recipit, ac iustos, remissis peccatis, pronunciat, imputata filij sui obedientia.

Proba.

Ephes 2. Gratiâ estis seruati per fidem, idq; non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis Rom. 3. glorietur. Et iterum: Iustificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, &c.

Quid præterea significat gratia?

Dona Spiritus sancti, quæ ex gratia, hoc est, gratuito suo fauore in nos confert. Iuxta hæc testimonia. Rom. 12. Habentes varia dona, iuxta gratiam quæ data est vobis.

1. Cor. 12. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus. Alij datur gratia sanationum per eundem Spiritum: alij, operatio virtutum, &c.

Quomodo differunt gratia & donum?

Vi causa & effectu. Gratia significat remissio-

missionem peccatorum seu reconciliationem & acceptationem apud Deum gratuitam. Donum autem effectus gratiæ, donationem Spiritus sancti, ac donorum ipsius.

Quæ sunt causæ gratiæ?

Causa efficiens, non est hominis præparatio, aut opera propria: sed ingens Dei misericordia erga genus humanum, qua noluit illud, quod ad imaginem suam creauerat, perire, sed ex nimia dilectione donauit filium: Et meritum ac obedientia Christi, qui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et sic victima pro peccatis, placans iram patris, nosq; ei reconcilians peccatores.

Proba.

Ephes. 2. Gratiâ saluati estis, non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

Ad Tit. 3. At postquam bonitas & erga homines amor apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, & per iustificationem ipsius gratia, heredes efficeremur iuxta spem vitæ æternæ.

Quo-

Quomodo contingit nobis gratia?

Instrumentalis causa, qua publicè nobis offertur & exhibetur, est ministerium verbi & Sacramentorum, per quæ Spiritus sanctus est efficax: fide autem apprehenditur, quæ internum est organum, quo gratiam sibi applicant singuli. 2. Cor. 5.

Quomodo accipienda est propositio: Gratia sumus iusti?

Non significat, iustum esse propter habitum infusum, aut nouam qualitatem nostram: sed quòd consequamur remissionem peccatorum, vel imputationem iustitiæ, Deo acceptante nos gratis propter Christum.

Quid exclusiuæ (Gratis & Gratia) excludunt in iustificatione?

Excluditur illis particulis (sicut & particula: sola fide) meritum proprium, causa atq; fiducia, opinio meriti, & conditio dignitatis: & transferũtur hæc omnia in Christum, vt sit certa fides, quæ sola cum Deo agit in iustificatione, Rom. 3. 4. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio. Iustificati gratis, ipsius gratia. Ephes. 2. Gratia

salua-

saluati estis, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

Dic gratuitas promissiones.

Rom. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Iustificãtur autem gratis, ipsius gratia, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem, in sanguine ipsius.

Ephes. 2. Gratia saluati estis, & hoc non ex vobis: Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. In quibus locis gratia significat gratuitam peccatorum remissionem.

DE FIDE.

Vnde dicitur fides?

Latinis à fiendo dicitur, quia fiat id, quod dicitur, vel promittitur. Et pro veritate & constantia in seruandis dictis, pactis, & promissis accipitur: Item, fidelitate: Traw vnnd Glauben. *Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.*

Ita quoque in Theologia. Rom. 3. Nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuabit?

Interdum pro tota religionis doctrina sumitur: vt, Fides Christiana. Rom. 1. Ad obedientiam Fidei inter omnes gentes.

Quid est fides?

Fides est non tantùm notitia in intellectu, & firmus assensus in voluntate, quo amplectitur totam doctrinam, à Deo traditam Ecclesia: sed etiam persuasio, & motus cordis, ascensus per Spiritum sanctum, qui dicitur & est fiducia promissionis gratiæ de Filio Dei, omnibusq; eius beneficijs, propter quem gratis credentes accipiunt remissionem peccatorum, iustificantur, & vitam consequuntur æternam. Rom. 3. Colligimus igitur, fide iustificari hominem, absque operibus legis.

Proba, fidem significare fiduciam.

2. Paralip. 20. In summa rerum trepidatione & desperatione, inquit Iachaziel, cùm super eum venisset spiritus Domini: Nolite meatis, neque frangamini animo. Et ibidem mox Iosaphat: Credite in Dominum Deum vestrum, & fideles estote, vel vt alij volunt, roboramini: credite Prophetis, & prosperi cedet vobis.

Chri-

Christus vtroq; verbo, credere & confidere, pro vno & eodem indifferenter vtitur, naturam verbi significationẽ explicans: Mat. 9. Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. Marc. 5. Ne metuas, tantùm crede.

Est ne igitur excludenda notitia historiæ à fide?

Nequaquã. Sed hæc sola non sufficit. Nam & dæmones credũt, habentes notitiam historiæ de Christo: sed contremiscunt, carentes illa fiducia in Christum, quam accedere necesse est, eaq; in illo acquiescendum: Vnde sequitur pax, tranquillitas, & gaudium conscientiæ. Iac. 1. Rom. 5.

Quotuplex est fides?

Vna est fides genere, non numero, sed similitudine. Sicut & Apostolus Paulus dicit: Vna fides: plures tamen distinctiones in sacra Scriptura habentur. Dicitur enim viua fides & mortua. Ephes. 4.

Quid est fides viua?

Fides viua est, qua Christum, qui est vita, in se credentes viuificat, verè apprehendit. Talis fides non est ociosa, aut facilis, sed diuina potentia, qua resistit in luctatoribus conscientiæ, erigit & consolatur

perterrefacta corda, eaq; viuificat, & vincit Diabolum & mortem. Sicut Abacuc dicit: Iustus sua fide viuet.

Vera ergo in Christum fides nunquam est mortua, sed semper viua: non ratione quidem operum, quibus non viuificatur. Hoc enim contra Naturam est. Quia opera non causa, sed effectiue sunt fidei.

Quid est fides mortua?

Quæ Christum, qui est vita, non vere apprehendit. Ideoq; ad bona opera est emortua & inefficax, quæ est sola historia notitia. Quando homo non omnem suam fiduciam in Deum, & Christum Filium eius, collocat. Ideo nec amat, nec colit Deum, nec obedit verbo eius: sed verbis tantùm fatentur homines, se nosse illum, factis verò negant.

Quæ est secunda fidei distinctio?

Alia dicitur historica, quæ est sola historiæ notitia de Christo, quam & dæmones habent, & omnes, qui Religionem Christianam amplectuntur, non iustificati, non regenerati.

Alia verò, est fiducia in promissionem gratuitæ Dei clementiæ, & gratiæ de Christo, eiusq; meritis & beneficijs, quas illa amplectitur,

stitur sibiq; applicat, & in eis acquiescit. Et hac historicam illam non excludit, sed prærequirit.

Quæ est tertia fidei diuisio?

Alia firma dicitur, alia infirma: quod ad gradus & incrementa eius.

Quid est firma fides?

Quæ sine hæsitatione promissa Dei amplectitur, qualis fuit Abrahæ, Rom 4.

Quid est infirma?

Quæ cum dubitatione & pusillanimitate coniuncta est. Vt illius, qui Christo interroganti: Potes credere? Respondit: Credo Domine, sed tu adiuua incredulitatem meam. Mar. 6.

Quæ sunt causæ fidei?

Causa efficiens fidei, est Deus, liberrime agens, eamq; donans, cui vult. 1. Thess. 3. Non omnium est fides, sed donum Dei est. Rom. 12. Primo Deus partitus est cuiq; mensuram fidei. Spiritui quoq; sancto tribuitur, quia est motor, agitator, & viuificator, mouens corda hominum efficaciter. Et aliâs dictum est, opera Trinitatis ad extra, esse indiuisa. August.

Instrumentalis causa, qua Spiritus sanctus utitur ad operandum fidem in cordibus hominum, est verbum Dei, per quod est efficax iuxta illud: Fides ex auditu, auditus per verbum Dei. Item: Adhuc Petro loquente verba hec, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.

Rom. 10. Act. 10.

Quod est subiectum fidei, in quo?

Est mens hominis, in intellectu notitia, in voluntate consensus, acquiescens in verbo & promissione diuina.

Obiecta fidei quæ?

Sunt, Deus reuelans se in verbo suo, Christus promissus mediator, seu omne Dei verbum nobis propositum. Et in hoc principale est promissio gratiæ, siue reconciliationis, & remissionis peccatorum gratuitæ, per & propter Christum.

Item, promissiones rerum corporalium. Hebr. 11. Per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, &c.

Cogna-

Cognata fidei quæ?

Spes, patientia Christiana, & similia.

Quæ contraria fidei?

Incredulitas, diffidentia, dubitationes de Deo, eius prouidentia, certitudine doctrinæ, & peccatorum remissione. Desperatio, fiducia propriæ iustitiæ & operum dignitatis, ac meritorum, vt Luc. 18. Pharisæus.

Item fiducia humanorum auxiliorum, vt Isa. 30. Sperantes in fortitudine Pharaonis, habentes fiduciam in vmbra Ægypti, superstitio, defectio à fide, Apostasia.

Qui sunt effectus fidei?

Iustificatio. Rom. 3. Concludimus igitur fide iustificari hominem. Pax & tranquillitas conscientiæ. Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus erga Deum. Certitudo, quòd simus in gratia apud Deum patrem. Puritas mentis. Actor. 15. Fide purificans corda. Inhabitatio Spiritus sancti in nobis. Gal. 4. Christum inhabitare in cordibus nostris per fidem. Non pudefieri. Omnis qui credit in eum non confundetur. Charitas erga Deum & proximũ. Gal. 5. Confessio. Credidi, propterea loquor. Noua obedientia, &c.

De Iustificatione.

Quid significat verbum iustificare?

Latinæ linguæ authoribus, non est vsitatum in hac significatione: sed Hebræis significat, iudicare pro tribunali. Et quia homines ibi vel condemnantur, vel absoluuntur, ideo pro absoluere in iudicio Dei, & iustum pronunciare, accipitur in Scriptura sacra, maximè apud Paulum, in disputatione de iustificatione hominis peccatoris coram Deo: & opponitur verbo condemnare.

Deinde, significat, reuera iustum facere, cùm homines à peccatis absoluti, & regenerati, ac donati Spiritu sancto, incipiunt bonis, rectis, & sanctis actionibus, iustiores fieri.

Apoc. 22. *De quo in Apoc. Qui iustus est, iustificetur adhuc: hoc est, Iustificatus fide, studeat etiam renatus, bonis operibus iustus fieri: quæ est iustitia bonæ conscientiæ.*

Tertiò, commendare aliquem, & declarare, & demonstrare iustum, ex ipsis operi-

Iac. 2. *bus, vt conspiciatur etiam ab alijs. De quo Iacobus in sua Epistola: Abraham pater noster, nónne ex operibus est iustificatus, offerens filium suum?*

Pro-

Proba Scripturæ ſacræ teſtimoniis, verbum iuſtificare, pro abſoluere, & iuſtum pronunciare, accipiendum.

Exod. 23. Innocentem & iuſtum non occides. Nec enim impium iuſtificabo.

Deut. 25. Si fuerit cauſa inter aliquos, & venerint in iudicium, iudicent eos. Juſtificent iuſtum, & condemnent improbum. Vbi ex contrarijs manifeſtum eſt, verbum iuſtificare, pro abſoluere accipi.

Iſa. 5. Væ, qui iuſtificatis impium propter munera.

Et ibid. cap. 43. Dent teſtes ſuos, & iuſtificentur. Narra tu, vt iuſtificeris. Id eſt: Si quid habes, quod pro te faciat, expone, vt iuſtus eſſe pronuncieris.

Rom. 8. Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat, id eſt, abſoluit, remiſſis peccatis, in ſuo iudicio accuſatos, credentes in Chriſtum iuſtos pronuncians. Et hanc ſolam veram, ac ſuæ voluntati conformem eſſe iuſtitiam declarat, quam agnoſcat, approbet, & pro iuſtitia acceptet, ſi quis verè in Chriſtum credat. Rom. 4. Credenti in eum, qui iuſtificat impium (id eſt, qui abſoluit, & iuſtum eſſe pronunciat, atq; acceptat) fides

eius imputatur ad iustitiam. Hoc est: Deus pronunciat, hanc esse, sibiq; placere iustitiã, si quis credat in Christum: hic coram ipsius tribunali iustus est, habens remissionem peccatorum: & absolutus ab eis, placens ipsi.

Quot modis dicitur iustus, & iustitia in sacra Scriptura.

Tribus. Primùm de Legali iustitia, quæ est perfecta obedientia erga Legem Dei, de qua dicitur: Homo, qui fecerit hæc, viuet in eis. Et iterum: Non est iustus, ne vnus quidem: Omnes declinauerunt. Psal. 14. Rom. 3. Ideo sequitur condemnatio, & maledictio. Deut. 27.

Secundò, iustitia fidei imputata, qua gratis, remissis peccatis, iustitia Christi credentibus in ipsum imputatur. De qua scribitur:

Hab. 2. Rom. 1. Rom. 5. *Iustus fide sua viuet. Item, per obedientiam vnius, iusti constituentur multi.*

Tertiò, noua obedientia, quæ iustitia etiam operum, & bonæ conscientiæ dicitur. Sicut secundum vtramq; posteriorem Noah vir iustus dicitur. Heb. 11. fide scilicet Deo placens, & noua obedientia, ex fide profecta, qua etiam ipsi probatur.

Ia

In qua re consistit iustificatio, quæ est coram Deo?

Remissione peccatorum, & imputatione iustitiæ Christi. Nam regeneratio, vel renouatio, aut sanctificatio, effectus sunt iustificationis, non partes. Etsi enim hæc tempore simul fiant: tamen non sunt confundenda, & ordine prior est iustificatio.

Qua re homo peccator coram Deo iustificatur?

Sola fide in Christum, gratis, ex misericordia Dei, per & propter Christi obedientiam. Iuxta hæc testimonia. Gen. 15. Roman. 4. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Psalm. 32. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Rom. 3. Colligimus, hominem iustificari fide, absq; operibus.

Qua ratione fides iustificare dicitur?

Iustificamur fide non ut opere, vel quatenus est qualitas, aut propter eius dignitatem vel præstantiam: sed quatenus in promissione Euangelij Christum propitiatorem, qui est nostra coram Deo iustitia, apprehendit, sibiq; eius beneficia applicat, & merita. Et sic fides est instrumentum, & manus quasi apprehen-

dens,

dens, & accipiens iustificationem. Vnde Christus inquit: Fides tua te saluam fecit. Luc. 7.

Quis est Ordo iustificationis?

Primùm, Deus voce & ministerio Legis accusat, & perterrefacit conscientias, propter peccata admissa, & operatur veros & serios dolores, proposita atrocitate peccatorum, & iusta ira sua magnitudine aduersus illa, aeterna scilicet damnatione: Vt homines territi agnitione peccatorum, propositum peccandi abiiciant.

Deinde, doctrina Euangelij offert territis hoc modo, & pœnitentibus miseris peccatoribus, gratuitam peccatorum remissionem, per & propter Christum. Ac operatur Spiritus sanctus, per vocem Euangelij, fidem, id est, fiduciam in Christum, qua ipsum Mediatorem agnoscunt, amplectuntur, eoq; nituntur, & confidentes in ipsum, acquiescunt. Et sic coram Deo iustificantur, id est, absoluuntur à peccatis, & iusti pronunciantur, habentes peccatorum remissionem.

Proba id testimonio & exemplo sacræ Scripturæ?

Marc. 1. inquit Christus: Agite pœnitentiam,

tiam, & credite Euangelio. Act. 2. D. Petrus grauissimè in die Pentecostes inuehitur in Iudæos, accusans ipsos, vocans Christi proditores & occisores. His, inquit Euangelista, auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apostolos: Viri fratres, quid faciemus? Petrus autem dixit ad illos: pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.

Cur Apostolus dicit, fidem imputari ad iustitiam? Rom. 4.

Responsio. Locutio est Synecdochica. Fides enim ipsa, propriissimè loquendo, non est nostra iustitia. Quia etiam ipsa, quemadmodum & reliquæ virtutes, est imperfecta. Nihil autem imperfectum in iudicio Dei consistit. Ideo autem fides iustitia dicitur, quia est instrumentum illud amicum, quo Christus, qui amica est nostra iustitia, apprehensus, nostra quoq; fit iustitia, qua coram Deo sumus insti.

Quod est medium, vel causa instrumentalis iustificationis?

Medium, per quod Deus nos iustificat, & publicè

publicè nobis iustificationem applicat seu causa instrumentalis respectu Dei est Ministerium verbi & Sacramentorum, qua ad hoc diuinitus sunt instituta, vt per ea Christi
Rom. 10. *merita & beneficia nobis applicentur. Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei, &c. Instrumentalis causa respectu nostri, vel in nobis, est fides, qua sola singuli priuatim Christum apprehendunt, sibiq; applicant ipsum obedientiam & merita.*

Qui sunt effectus

Effectus iustificationis sunt, adoptio in filios Dei, Gal. 4. Societas cum Deo, & Domino nostro Iesu Christo. 1. Ioan. 1. Pax & tranquillitas conscientiæ: lætitia & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 5. 14. Sanctificatio & donatio Spiritus sancti: vivium renouatio, in qua noua lux accenditur in mente, noui motus in voluntate: Viuificatio, inchoatio noua obedientia, confessio, Rom. 10. Victoria Mundi & Diaboli, 1. Ioan. 3. Vita denique æterna hæreditas.

Vnáne

Vna ne, & eadem est iustificationis ratio omnium Patriarcharum etiam, & Prophetarum, aliorumq; in veteri etiam & in nouo Testamento.

Docuerunt quidem Sophistæ, Patriarchas obseruatione Legis naturæ, Israelitas Legis Mosaicæ, Christianos, Legis Christi perfectioris & Euangelicæ obseruatione saluatos. Sed hæc detestanda est doctrina. Planè una eadem est omnibus temporibus, omnium hominum, hinc à Mundi exordio, & primis parentibus, qui post lapsum tristissimum, eodem modo in gratiam sunt recepti, & deinceps consequenter Patriarchæ, & in populo Dei Israel, singulis temporibus, quo & Apostoli, & in primitiua Ecclesia, nunc & vsque ad finem Mundi, iustificationis ratio: Omnes eadem fide in Christum, promissum tunc, iustificati sunt, & saluati. Nisi quòd illi in venturum, nos in nouo Testamento, in exhibitum credimus Messiam.

Quibus hoc probas Scripturæ sacræ testimonijs?

Paulus ad Rom. 4. Ideo ex fide, vt secun-

dum

dum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex Lege est solùm, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ, qui Pater est omnium nostrûm, sicut scriptum est: Quia Patrem multarum Gentium posui te, ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, &c.

Quæ sunt cognata iustificationis?

Regeneratio vel renouatio, sanctificatio, quæ alicubi etiam pro remissione peccatorum accipitur. Cùm tamen regeneratio effectus sit, iustificationem sequens. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, &c. Et sic regeneratio pro iustificatione accipitur, quia sunt coniuncta Christi beneficia.

Quæ sunt pugnantia vel contraria iustificationis?

Quòd iustificare non significet Remissionem peccatorum, sed nouas infusas qualitates. Quòd Christus sola sua diuinitate nostra sit iustitia. Quòd Christus sola sua humanitate nos redemerit. Quòd fides non solùm Christi obedientiam respiciat. Quòd fides talis

talis sit fiducia, quæ in homine absque vera charitate esse possit. Quòd non Deus, sed sola ipsius dona in nobis sint. Quòd Deus nos elegerit propter opera, quæ nos facturos præuidit: qua ratione principium & causa nostræ salutis in nobis, & ex nobis statueretur. Iustificatio per opera, eorumq; merita. Fiduciam illa. Fidem non posse iustificare sine operibus. Fidem, quatenus habeat charitatem, qua formetur, coniunctam, iustificare. Fidei, vt iustificet, aut ad iustificationem, vel in articulo iustificationis, necessariam esse bonorum operum præsentiam: vel bona opera esse causam, sine qua non, quæ per particulas exclusiuas, ex articulo iustificationis non excludantur. Charitatem, opera bona, merita propria, causam esse iustificationis coram DEO, vel in totum, vel ex parte. Hominem per bona opera se præparare debere, vt illi Christi merita applicentur. Formalem nostram iustitiam coram Deo, esse inhærentem nostram nouitatem, vel charitatem. Duas esse partes iustificationis fidei: remissionem peccatorum, & renouationem, vel sanctificationem. Fidem iustificare tantùm quod ad initium, & sic partialiter, vel etiam principaliter: Cha-

secunda.

ritatem verò, vel nouitatem, completiuè, vel minus principaliter. Credentes, coram Deo iustos esse, simul imputatione & inchoatione, vel partim imputatione, ac partim inchoatione nouæ obedientiæ. Applicationem promissionis gratiæ fieri & fide cordis, & confessione oris, & reliquis virtutibus. Per aliud hominem saluari, & per aliud iustificari. Essentialem Dei iustitiam, vel Deum in nobis habitantem, nostram esse iustitiam. Verbum iustificare, in sacra Scriptura non significare, absoluere à peccatis, & remissionem peccatorum consequi. Eidem talem esse fiduciam, quæ in homine esse possit, qui non verè pœniteat, sed in peccatis contra conscientiam perseueret.

Quæ est sententia Propositionis: Fide iustificamur, vel sumus iusti?

Hoc est, non propria aperum, vel qualitatum, aut virtutum propriarum dignitate, aut merito, sed fiducia misericordiæ Dei, per & propter Christum, reputamur iusti, acceptâ peccatorum remissione, gratis. Christus enim fide apprehensus, est iustitia nostra.

Proba

Proba hoc Scripturæ testimonio:

Per obedientiam vnius iusti constituun- Rom. 5.
tur multi. Hæc autem Christi obedientia, non tantùm de eius passione, siue passiua iustitia est accipienda: sed etiam de actiua, quam Legi præstitit opere, eiq; satisfecit. Et sic Rom. 10.
Christus Legis est impletio ad salutem omni Psal. 14.
credenti. Factus sub Lege, vt eos, qui sub Lege erant, redimeret.

Cur Passiua & Actiua sua iustitia:

Dupliciter enim Legi sumus obnoxij. Primùm ratione obedientiæ: deinde pœnæ. Obligati sumus Legi ad obedientiam, & ad pœnam. Quia creatura tenetur præstare obedientiam, quam cùm nemo præstet perfectè, pœnæ sunt luendæ, non tantùm præsentis vitæ, sed etiam alterius perpetuæ. Quia bonum infinitum est offensum & læsum peccatis nostris.

Ideoq; opus erat, vt æternus Dei Filius in carne satisfaceret: qui vtrumque in natura humana assumpta in se recepit, & præstitit,

satisfaciens Legi vtroq; modo, faciendo sine implendo perfectissimè, & patiendo pœnas: cùm horum nihil deberet, quia per se Legi non fuit obnoxius aut debitor, cùm sit creator: sed factus est sub Legem, vt eos, qui sub Lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Gal. 4.

Quid sibi vult propositio: Sola fide homo iustificatur?

Primùm non intelligimus fidem historicam, quæ notitia tantùm est, quam & Dæmones habent, Iacob 2. Deinde nec hoc volumus, quòd vera & iustificans fides, vnquam sit sola, carens bonis operibus. Est enim viua & efficax, ac operatur per charitatem: sed de ea fide loquimur, quæ est vera fiducia in promissiones de Christo, in quo acquieuit: & hoc volumus, quòd hæc sola agat, cum DEO in articulo iustificationis nostræ. Quòd sola hæc apprehendat, Mediatorem Christum, & in eo remissionem peccatorum, gratuitam DEI gratiam & clementiam, per & propter Christum promissa & exhibita.

Vnde

Vnde desumpta particula sola, cùm dicitur, Sola fides?

Ex sacræ Scripturæ testimonijs. Vt Lu. 8. inquit *Christus ad Iairum:* SOLVM *crede. Gal. 3. Scimus, quòd non iustificatur homo ex operib. Legis,* NISI PER FIDEM IESV CHRISTI. *Quid est, nisi per fidem, quàm sola fide, præsertim cùm negatiua præcedat, quæ diserte excludit opera. Scimus, inquit, quòd non iustificatur homo ex operibus Legis.*

Et ex æquipollentibus, quæ in Apostolicis scriptis habentur, Ioan. 14. Nemo venit ad Patrem, NISI PER ME. *Rom. 3. Iustificati gratis, per gratiam ipsius,* SINE *vel absq; operibus Legis.* f. 135.

Sunt ne hac phrasi Patres quoque vsi?

Maximè.

Ambrosius, ad Rom. cap. 3.

Iustificati gratis, per gratiam ipsius. Iustificati sunt gratis, inquit, quia nihil operantes, neque reddentes, SOLA FIDE *iustificati sunt dono Dei. Ad Roman. 4. ait Apostolus: Credenti autem in eum, qui iu-*

ſtificat impium, &c. Hoc dicit, quia ſine operibus Legis credenti impio (id eſt, gentili) in Chriſtum, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſicut Abrahæ. Quomodo ergo Iudæi per opera Legis iuſtificari ſe putãt, iuſtificatione Abrahæ: cùm videant Abraham non ex operibus Legis, ſed SOLA FIDE iuſtificatum? non ergo opus eſt Lege, quando impius per SOLAM FIDEM iuſtificatur apud Deum.

Auguſtinus, enarratione in Pſalmum 88.

Et quia SOLA fides Chriſti mundat, non credentes in Chriſtum, ſoluti ſunt ab emundatione.

Quid excludit particula SOLA?

Non tantùm opera à cauſa iuſtificationis efficiente, dignitate ac merito: verùm etiam à cauſa ſine qua non, atque adeò ab omni neceſſitate præſentiæ in actu iuſtificationis. Nam ſine operibus iuſtificatur peccator, in Chriſtum credens. Aliâs ſemper eſſet incerta, & ita dubitandum.

Cur

Cur necesse est retinere hanc exclusiuam, SOLAM, & similes, in articulo iustificationis?

Primùm, vt debitus honor tribuatur Christo, quòd videlicet solus sit, & vnus Mediator, propter quem nobis contingunt beneficia in Euangelio promissa. Hanc gloriam alteri non vult dare. Ego torcular solus calcaui, & de Gentibus non est vir mecum. Nemo venit ad Patrem, NISI PER ME. Scientes, quòd non iustificatur homo operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi, vt sit ipse solus iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.

Isa. 42. Ibid. 63. Ioan. 14. Gal. 2.

Deinde, vt beneficium sit certum, & conscientiæ habeant firmam consolationem: & vt dubitatio in lucta & certamine, Fide vincipossit. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Ro. 4.

Præterea, vt sciamus, nullum aliud Organum esse, & instrumentum, quo promissas hic & oblatas in Euangelio beneficia, accipere possimus, quàm fidem: contra Pontificios, qui fingunt, Missa & operibus ea applicari.

*Item, vt meritum omne proprioru*m *operum, dignitas & fiducia omnium operum nostrorum, in articulo iustificationis prorsus excludatur, ne vlla vel aliqua ex parte illis nitamur. Quòd neque renouatio, vel sanctificatio, aut virtutes, vel bona opera, forma aut pars, vel causa sint iustificationis coram Deo, aut vllo modo huic articulo admisceantur.*

Quare homo post conuersionem est iustus coram Deo: solane Fide, an verò noua obedientia, aut Fide & operibus simul?

Homo iustus est, & placet Deo sola fide in Christum, in principio, medio, & fine. Apoc. 1. *Christus enim est Alpha & Omega: Perpetuus Mediator & Saluator omnium credentium.* Rom. 4. *Quod Apostolus exemplo Abrahæ probat, cui fides sit ad iustitiam reputata, non operanti, sed credenti. Et idem Dauid docuisse Psalm. 32. Beatitudinem hominis esse, cui Deus accepto ferat iustitiam sine operibus. Ante fidei enim iustificationem, peccata sunt, & nulla bona opera quæ Deo placeant. Sine fide enim impossibile est placere DEO. Et quicquid non est ex fide, peccatum est. Bona autem opera, effectus sunt fidei.*

Et

Et semper sunt imperfecta, nec vllam vnquã in negocio iustificationis, vel ex toto, vel ex parte, etiam minima, rationem habent.

De bonis operibus.

Quibus nominibus ea appellantur?

OBedientia, ambulare in vijs Domini, & lege eius, operari iustitiam, facere iustitiam, sanctitas, fructus Spiritus, fructus fidei, bona opera, boni fructus.

Quid sunt bona opera?

Sunt opera diuinitus mandata, in Decalogo comprehensa, interiora & exteriora, quæ fiunt à renatis, fide per Spiritum sanctum, hoc fine, vt Deo obedientia præstetur, gloria nominis eius illustretur, proximo inseruiatur, & hoc modo fides declaretur.

De causis bonorum operum

ꝑ necessitatem bene operandi nõ dt intelligi coactio sic necessaria ꝯ Angelorũ obedientia x à Deo ordinata & tũ ꝯ voluntaria.

Quæ est causa efficiens bonorum operum?

Deus per Spiritum sanctum operatur illa in cordibus hominum. Sine me nihil potestis facere. Non sumus sufficientes, cogitare aliquid boni ex nobis: sed Deus est, qui operatur velle & perficere. Ioan. 15. 2. Cor. 3.

Quid est ex fide esse aut fieri?

Primùm, vt credamus in Christum, propter quem accipimus remissionem peccatorũ, sumus iusti, persona est in gratia, & placet Deo. Deinde, vt opus verbo Dei sit præceptũ: alioqui non possum credere, aut statuere, Deo esse gratum & acceptum. Tertiò, ne fiat opinione meriti vitæ æternæ. Sed quia debitum est, propter mandatum Dei, vt creatura Creatori obtemperet. Et statuamus, opus ipsum Deo gratum esse ac placere, non propter propriam dignitatem, sed propter Christum, eiusq; obedientiam perfectam, quam Deo & Legi præstitit, etiamsi imperfectum sit opus nostrum.

An igitur nostra bona opera non sunt perfectè bona?

Non sunt perfectè bona. Quare? Tamen cùm fiunt à renatis per Spiritum sanctum? Verum est, sed non ex omni parte sanctis sunt renatis. Habent enim reliquias peccatorum, & concupiscentiam prauam, quæ semper coniuncta sunt in omni opere bono. Hinc imperfecta sunt, & contaminata omnia, etiam sanctorum bona opera. Iuxta illud: OMNES

nostra

nostræ iustitiæ (non dicit peccata nostra, vel mala opera, sed iustitiæ: & quidem omnes, non aliquæ tantùm. Et nostræ, hoc est, sanctorum, non Ethnicorum tantùm.) Omnes ergo, inquit, iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ.

Itaq; bona sanctorum opera sunt bona mala opera, gute böse Werck: Sancti sunt peccatores, fromme Schälck.

Quomodo placent bona opera?

Sicut persona accipit remissionem peccatorum, & placet Deo, fide in Christum, & propter ipsum Mediatorem: ita bona quoque nostra opera, propter eundem placent, etsi sint peccato polluta. Nam quod in eis vitiosum est, propter Christum propitiatorem, credentibus in eum condonatur, & tegitur: itaq; & persona, & obedientia, propter Christum placent Deo, fide, quemadmodum filiorum obedientia parentibus.

Quæ causæ sunt bonorum operum?

Primùm, mandatum Dei, eiusq; necessitas, ac debitum. Nec enim indifferens est, bona opera facere, vel ea omittere: sed planè sunt necessaria, necessitate mandati Dei. §. 134

Nam

Rom. 8. *Nam si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Item: Hoc est mandatum meum, vt vos inuicem diligatis.*

2 *2. Ad declarandam veram fidem, quæ non est otiosa, sed perpetuò bonos fructus profert,*

Iac. 2. *& eisdem ostenditur. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego tibi ostendam fidem meam ex operibus. Sicut anima (quemadmodum etiam ibidem habetur) cognoscitur ex spiritu, hoc est, respiratione, quòd adhuc sit in corpore.*

4 *3. Ad testificandam nostram gratitudinem erga Deum, propter accepta beneficia.*

Psal. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

5 *4. Vt proximo benefiat, qui diligendus est, vt nos ipsi.*

6 *5. Propter præmia præsentis & futuræ vitæ, Dan. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt sicut Sol: & qui erudierunt multos ad iustitiam, quasi splendor firmamenti, in perpetuas*

1. Tim. 4. *æternitates. Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens, non præsentis tantùm, sed etiam futuræ vitæ.*

7 *6. Ad cauendas pœnas temporales & æternas.*

nas. *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis.* Deut. 27. 28.

7. *Dignitas bonorum operum, quòd dicuntur cultus Deo grati, & ad gloriam Dei illustrandam faciunt. Sic luceat, inquit Christus, lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent Deum Patrem vestrum cœlestem.* Matth. 5. *Hoc modo confessio sunt doctrinæ, quæ illis ornatur.*

8. *Vt gloria nominis Dei illustretur nostris bonis operibus. Et plures excitentur ad amplectẽdam sinceram Religionem. 1. Pet. 3. Similiter & mulieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctum conuersationem. Item, vt alij piorum exemplo inuitentur & discant benefacere. Plurimum enim possunt exempla, in vtramque partem. Sicut contrà,* Rom. 2. *Paulus inquit: Propter vos malè audit nomen Dei inter gentes.*

Merentur ne bona opera præmia?

Habent & merentur, non ex se, hoc est, nõ propter suam dignitatem, aut quòd sint sufficientia. Rom. 1. *Ac debitores sumus. Et: Si omnia faciamus, tamẽ serui inutiles sumus, &* Luc 17. *quæ facere*

cere debuimus, fecimus. Sed propter promissionem Dei gratuitam. Secundò, quia à Spiritu Domini proficiscuntur. Tertiò, quia sunt à filijs.

Sed merentur ne bona opera vitam æternam?

Sicut bona opera, etiam verè credentium, non sunt iustitia illa, quæ coram tribunali Dei consistit, nec merentur remissionem peccatorum, quæ solius Christi, eiusq; obedientia est meritum: ita nec vitam æternam. Et ratio est, quia sunt imperfecta, & peccato contaminata. Sed vita æterna, meritum & beneficium Christi est gratuitum, imò donum. Rom. 6. Donum Dei, vita æterna, per Christum Iesum, Dominum nostrum.

Quomodo differunt bona opera piorum, à virtutibus gentilium?

Causis. Primùm, causa efficiente, quia renatis est Spiritus sanctus, excitans in illorum cordibus motus, cum lege Dei congruentes: vt in Ioseph, castitas, quòd non consentit herili coniugi, ad stuprum pellicienti. In Dauide, fortitudo heroica: Sicut ipse canit. Tu Psal. 144. Domine, doces manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. In Alexandro est mo-

tus

tus naturalis, & quidem heroica quoq; fortitudo: sed non regitur à Spiritu sancto.

Vnde multa crudeliter facit: vult se adorari, & coli, vt Deum: inter pocula amicos interficit, & alia fœda perpetrat.

Sic in alijs non renatis, virtutes sunt tantùm externa disciplina orta à ratione, quas Augustinus simulachra virtutum appellat.

Deinde, efficiens proxima, est persona, quæ sit renata, placet Deo, & est in gratia apud ipsum. Ideoq; opus etiam ipsum bonum est, & Deo placet. In gentilibus ignaris veri Dei, & reliquis non renatis, non placent opera. Exemplo sunt Abel & Cain, cum suis sacrificijs, Gen. 4. Hîc verum est, quod dicitur: Duo cum idem faciunt, non est idem.

Causa formali differunt. Quòd piorum opera ex fide fiunt: impiorum & incredulorum, carent fide: ideo non placent. Forma dat esse rei.

Postremò, & causa finali differunt. Quòd pij referunt sua opera bona ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem: increduli, ad propriam gloriam, sicut Virgil. de Bruto canit: Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.

De

De pœnitentia.

Constat hic locus & materia, ex præcedentibus, de peccato, Lege, Euangelio, Iustificatione fidei gratuita, & bonis operibus.

De Etymo.

Hebreis תשובה, id est, conuersionem à peccatis, ad Deum scilicet, significat. Græcis μετάνοια, quod aliter sentire & affectum esse denotat: & ita mutationem mentis & consiliorum, cùm quis priora mutare cupit & emendare. Vt cùm quis, verbi gratia, antea sit delectatus ingurgitatione & helluatione, iam detestetur eam, & sobriam agat vitam. Et sic de cæteris.

Quot modis accipitur vocabulum pœnitentiæ?

Duobus. Primùm pro tota hominis peccatoris ad Deum conuersione. Luc. 15. Gaudium est Angelis in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente.

Altera significatio, est angustior, cùm pro vna tantùm parte conuersionis, nempe contritione, accipitur. Cui tamen in nouo Testamento, quando in hac significatione ponitur,

tur, plerumque altera adiungitur, nempe fides. Marc. 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Luc. vlt. Predicate in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorū. Act. 20. Testificans, quæ est erga Deum, Pœnitentiam, & Fidem.

Quid est pœnitentia?

Est salutaris hominis peccatoris ad Deum conuersio, qua agnitis peccatis ex Legis doctrina, dolens, fide concepta ex Euangelio dulcissimo in Christum, se erigit, quam sequuntur opera bona, digna iis, qui resipuerunt.

Vnde oritur pœnitentia, vel quomodo homines ad eam perueniunt?

Ex predicatione verbi Dei, Legis scilicet & Euangelij, per quæ Spiritus sanctus est efficax, operatur, mouet, & tangit corda eorum, qui sunt conuertendi, vt agant pœnitentiam.

Quot sunt partes pœnitentiæ?

Duæ. Quæ? Contritio, & Fides.

Quid igitur bona opera, seu noua obedientia: an non sunt pars pœnitentiæ?

Proprie loquendo, non sunt pars, sed effe-

ctus. Aliud autem est pars rei, quæ requiritur ad constitutionem totius: aliud effectus sequens rem constitutam. Bona opera fructus sunt & effectus pœnitentiæ, non pars & necessariò constituens pœnitentiam.

Proba hoc.

Matth. 3. Manifesta sunt verba Baptistæ: Facite igitur FRVCTVS dignos pœnitentiæ. Quare bona opera, effectus sunt, certò consequens pœnitentiam veram.

Quæ est causa efficiens pœnitentiæ?

Deus iuxta hæc Scripturæ testimonia: Conuerte nos, & conuertemur, & salui erimus. Thren. 5. Et iterum: Conuerte me Domine, & conuertar. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. Ierem. 31

Ezech. 36. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.

Quomodo eam Deus operatur?

Per verbum suum, & Spiritum sanctum, qui

qui per verbum, tanquam organum à se institutum, efficax est, & mouet corda, nempe voce Legis, tanquam malleo ferreo, saxea cõterens corda, pœnitere nescia. Per legem.n. agnitio peccatorum, & contritio. Doctrina verò Euangelij fidem, qua eriguntur corda. Iuxta illud: Euangelium potentia Dei est, ad salutem omni credenti. Rom.1. Atq; ita Spiritus S. est causa efficiens: verbum, instrumentalis.

De contritione.

Quid est contritio?

Est serius, & verus dolor cordis, siue conscientiæ, quæ agnitis peccatis sentit DEVM peccato iratsci, & dolet de admissis peccatis.

Vnde oritur contritio?

Ex concione legis, quæ organum est, per quod Deus reuelat peccatum, eiusq; turpitudinem, & iram suam aduersus illud, atque pœnas temporales, & æternas denunciat. Rom.3. Iuxta illud: Lex est agnitio peccati. Item: Ibid.7. Non concupisces.

Qui sunt fines contritionis? hoc est: quare agnitis peccatis dolendum est?

Non, vt per eam remissionem peccatorum consequamur, quemadmodum Pontificij docent: sed vt voluntati Dei obtemperemus, qui vult nos agnitis peccatis expauescere. Deinde, vt agnita peccatorum turpitudine, nos ex animo coram Deo humiliemus.

Tertiò, vt dulcescat nobis Christus in
Esa. 61. *doctrina Euangelij propositus, iuxta illud: Ad Euangelizandum pauperibus misit me.*

De Fide, quæ altera est pœnitentiæ pars.

De hac quid sit, eiusq́ causis, suprà, quantum satis est, diximus.

Sine fide existere quidem potest contritio, sed non est salutaris. Illa enim nisi accedat desperatio sequitur, vt in Cain & Iuda, quemadmodum dictum est. Hæc igitur fides discrimen facit inter pœnitentiam et contritionem Cain & Dauidis, Iudæ & Petri.

Fides facit timorē servilē filialē: Ille ē à lege hic ptim à lege ptim ab evangelio ant.

Qui sunt effectus vel fructus pœnitentiæ?

Noua obedientia, vel bona opera, de qui-

hu precedenti loco dictum est, qua huc quoque sunt referenda.

Doctrina Papistica de pœnitentia.

Quæ Pontificiorum est de Pœnitentia doctrina?

Tres eius partes esse docent. Prima, est contritio cordis. Secunda, confessio oris. Tertia, satisfactio operis. Et hanc Sacramentalem esse dicunt, inq; Sacramentorum numero recensent. Verùm, cùm nullum habeat Elementum, diuinitus institutum, inter Sacramenta referri non potest. Et tam fuit in veteri Testamento, adeoq; omnibus præteritis antea temporibus, quàm in Ecclesia noui Testamenti, vsitata.

Præterea, hanc suam pœnitentiam, hoc est, triailla, alteram post naufragium tabulam esse docent, qua post Baptismum acceptum peccantes, & sic gratia Dei excidentes, iterum cum Deo in gratiam redeant reconciliati, & per eam ad portum æternæ salutis transuehantur, sicut ex naufragio per tabulam ad littus.

Dolore enim contritionis, rubore confessionis, & labore satisfactionis, Deo pro admissis peccatis satisfieri, hominemq́; eidem reconciliari sentiunt.

Quid igitur in hac illorum de pœnitentia doctrina desideras?

Plurima. Primùm enim, in hac tota illorum de conuersione hominis peccatoris ad Deum doctrina, qua illum reconciliari Deo, & salutem æternam consequi docent, prorsus nullam Christi Mediatoris faciunt mentionem. Cùm tamen per hunc solum Deo æterno patri simus reconciliati, nobisq́; per eum ad patrem aditus pateat. Similiter nec fidei meminerunt, sine qua impossibile est Deo placere. Et quicquid non est ex fide, peccatum est.

Heb. 11. Rom. 14.

Tertiò, falsum est & hoc, quòd docent, propter contritionem, si sit sufficiens, nobis remitti peccata.

Quartò, omnium peccatorum enumerationem, sacerdoti faciendam, necessariò docent.

Quintò, impium est, & blasphemum in sanguinem, obedientiam, & meritum Christi, sentire & docere, nostris operibus & passioni-

sanibus, satisfieri Deo pro peccatis, eaq; expiari per illa: Quod solius Christi est. Isa. 53. Super quem Deus posuit omnium nostrûm iniquitates: Cuius liuore sanati sumus. Vulneratus est propter iniquitates nostras, &c. Vide totum caput.

An verò contritio non necessariò præcedit in pœnitentia?

Verum est, & in hoc nobis cum Pontificijs conuenit.

Quid igitur interest?

Quòd docent, contritionem oportere esse sufficientem: & quòd propter eam remittantur peccata: quod falsum est & impium. Non enim dolor noster, quem ex agnitione peccati homo concipit, voluptatem ex peccato conceptam, compensat: sed Christus dolores nostros ipse portauit, & attritus est propter scelera nostra: propter cuius solam obedientiam, fide consequimur remissionem peccatorum.

Quid de confessione est sentiendum?

Confessio, sicut et satisfactio, orta est à vitiis Ecclesiasticis, & publica pœnitentiæ spectaculis: vbi in primitiua Ecclesia, rei publicorũ & manifestorũ criminũ excommunica-

bantur, nec recipiebantur, nisi publicè confiterentur, hoc est, testarentur prius, coram Ecclesia apud Ministrum, se pœnitere propter admissa scelera, promitterent vitæ & morum emendationem, petita absolutione.

Postea addebatur satisfactio, hoc est, publica quædam castigatio, qua Ecclesia offensa satisfiebat: & vt probarentur, num reuera agerent pœnitentiam, an verò tantùm simularent. Hoc modo, non Deo pro peccatis, sed Ecclesiæ, offensæ antea per lapsum, satisfiebat.

Est ne mandata diuinitus peccatorum omnium enumeratio, seu confessio Papistica?

Nec mandata est à Deo, nec est possibilis.

Psal. 19. *Sicut Dauid inquit: Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me.*

Obiectio.

Iudex non absoluit, nisi priùs cognita causa. Ergo nec Sacerdos, nisi priùs cognitis peccatis, quod fit omnium peccatorum enumeratione, absoluere potest.

Responsio. Nego consequentiam, & ratio est: quia ingens est dissimilitudo inter Iudicis officium & Sacerdotum.

Sacer-

Sacerdos enim nequaquam Iudex est, nec Iudicis habet partes, in causa & peccatorum cognitione nec Iurisdictionem habet: sed tantum Ministerij potestatem, vel officium. Et est Minister, qui pœnitenti impartiri debet, & annunciare absolutionem.

Quid igitur sentis de confessione, quam in nostris Ecclesijs retinemus?

Respondeo. Prodest ad disciplinam, & vtilis est propter examen rudiorum, vt instituantur priuatim. Et ad priuatam absolutionem, properturbatis conscientijs erigendis, in Ecclesijs retinendam.

Item, ad reconciliationem eorum, qui se mutuò offenderunt, de qua D. Iacobus: in sua Epistola cap. vlt.

Similiter publica & pia Confessionis peccatorum, salutaris est vsus, qua non solùm in publicis Ecclesiæ congressibus, præeunte verbi Ecclesiæ ministro, Deo fit ab omnibus peccatorum confessio, eorumq; absolutio: sed etiam, quãdo propter publicas calamitates, quibus premuntur, conuenit Ecclesia, & publicè ac solenniter peccata sua Deo confitetur, mitigationem illarum ab ipso petit propter Christum.

Quid de satisfactione?

In sacra Scriptura, & propriè loquendo, unica est tantùm pro peccatis satisfactio,
Heb. 9: *nempe obedientia, & oblatio filij DEI, qua unica consummauit, in aternum sanctificandos.*
1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis, non nostris tantùm, sed totius Mundi. Item: Vnus est*
1. Tim. 2. *Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Super hunc enim Deus posuit omnium nostrum iniquitates: disciplina pacis nostræ super eum. Isa. 53.*

Sed deinde alia est Politica satisfactio erga hominibus, qua restituitur ablatum, & satisfit proximo, qui à nobis iniquè est lesus. Et hæc est necessaria, vt fructus pœnitentiæ, sicut Zacheus restituit quadruplum, secundum Legem. Verùm hæc restitutio non satisfacit coram DEO pro peccatis, nec meretur remissionem peccatorum.

Recipiendi ne sunt lapsi post Baptismum, agentes pœnitentiam?

Lapsos vocabant, non quocunq; modo peccantes, sed qui in persequutione periculorum

& pa-

& pœnarum metu deterriti, Religionem Christianam abnegârunt.

Nouatus, Ecclesiæ Romanæ presbyter, Christianos maiorem constantiam decere iudicabat. Cumq; Christus dixerit: Qui me negat, negabo & ego eum coram Patre meo. Et in Epistola ad Heb. 6. 10. quædam in eandem habentur sententiam. Ideo iudicabat tales, tanquam membra putrida, abiciendos, nec recipiendos in Ecclesiæ communionem.

Hos postea καθαροὺς vocârunt, quasi soli haberi vellent, aut essent mundi.

Sed contra hos rectè iudicauit Ecclesia, lapsos agentes pœnitentiam recipiendos. Eius enim rei multa extant in sacra Scriptura testimonia & exempla.

Ierem. 3. Vulgò dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & illa recedens ab eo, nupserit alteri: nunquid denuò illam recipiet? nunquid non polluta, & contaminata erit? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego recipiam te. Memento vnde lapsus sis, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Apoc. 2.

Hoc

Luc. 15. *Hoc ipsum Christus docet parabolis tribus pulcherrimis, de denario amisso, oue perdita, & filio prodigo.*

De Ministerio Ecclesiæ, Verbi Dei Ministris, eorumque vocatione.

Esse debere Ministerium Ecclesiasticum.

DOcent sacræ literæ veteris & noui Testamenti, ac res loquitur ipsa.

Proba hoc.

In Ecclesia primitiua, ante diluuium, fuêre Doctores, Patriarchæ, Adam, Seth, cuius tempore publicum Ministerium & cultus reparata scribuntur: Enos, Enoch, Gen. 4. in fine. *Noah, qui præco iustitiæ dicitur. Post diluuium Sem, qui Melchisedech fuisse putatur, Abraham, Ioseph. Postea diuinitus excitatus est, & vocatus Moses, Doctor & Propheta Ecclesiæ præcipuus & summus: Aharon Pontifex: & institutum Sacerdotium in populo*

populo Dei veteris Testamenti. Item Prophetæ, extra ordinem.

In nouo, Christus Apostolos vocauit ad Ministerium Euangelij, de quibus Isa. 52. Quàm pulchri sunt pedes super montes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus, Rom. 10. Apostoli alios successores. Et vult nos scrutari Scripturas. Ioan. 5. Et est efficax per Ministerium verbi. Fides est ex auditu, Auditus per verbum Dei: Item: Viuus est sermo Dei, & efficax. Rom. 10. Hcb. 4.

Quid est Ministerium Ecclesiasticum?

Est officium diuinum, complectens prædicationem verbi Dei, administrationem Sacramentorum diuinitus institutorum, & gubernationem Ecclesiæ.

Quis est eius author, vel causa efficiens?

Deus ipse hoc munere docendi functus est, qui primum immediatè allocutus est Protoplastas in Paradiso, edita promissione de semine benedicto. Deinde propagari voluit hanc promissionem per Patriarchas, ordine

& suc-

& successione. Postea instituit ipse in populo Israelitico Sacerdotium, electa & vocata peculiari tribu Leui, sicut videre est in Exodo, Leuitico, & Numerorum libris.

In nouo Testamento Christus non solùm ipse prædicauit, sed quoq; Apostolos vocauit, illosq; Ministerio Ecclesiastico præfecit, dicens: Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur, &c. Ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate eos. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Ioan. 20.

Matth. vlt.

Marc. vlt.

Quæ sunt partes Ministerij Ecclesiastici?

Duæ sunt principales. Prædicatio verbi Dei, Legis scilicet & Euangelij: & Sacramentorum administratio.

Quis est effectus Ministerij?

Salus æterna hominum in Ecclesia, quam Deus non, sicut poterat, vult immediatè operari: sed per verbi Ministerium ordinariè, quod in hunc finem instituit, eoq; pro organo & instrumento vtitur.

Proba.

Matth. & Marc. vlt. Christus inquit: Ite, docete omnes Gentes, bapti-

baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Cùm enim Mundus per suam sapientiam, Deum in sua sapientia non agnosceret, placuit Deo, per stultam prædicationem, saluos facere credentes. Rom. 1. 1. Cor. 1.

2. Cor. 5. dicitur Ministerium reconciliationis. Et Ministri συνεργοι, *hoc est, cooperarij Dei.*

1. Tim. 4. Hoc faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.

Vnde dependet effectus Ministerij Ecclesiastici.

Non à dignitate, vel indignitate personæ Ministri: multò verò minus à rancidi olei inunctione, qua characterem imprimi indelebilem nugantur Pontificij, ac potestatem & virtutem peculiarem, qua conficiant Sacramenta, & panem, à se Magicè consecratum, transmutent in substantiam corporis Christi: sed à virtute Spiritus sancti, qui per verbum vocale, quod vehiculum est Spiritus sancti, & Ministerium diuinitus institutum,

1.Cor.3. tutum, est efficax. Nam qui plantat, nihil est, sicut nec qui rigat: sed qui dat incrementum, Deus. Est enim Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti. Quare recte sunt ab Ecclesia damnati Donatistæ, negantes, malorum ministrorum officium esse efficax in Sacramentorum administratione.

Rom.1.

Quotuplex est vocatio?

Duplex est modus vocationis legitimæ, quorum vterque est à Deo. Immediata, quæ fit à Deo absq; intermedia persona hominis: qualis fuit Prophetarum, & Apostolorum per Christum. Alter modus est, quo etiam vocantur à Deo, sed per homines, quibus hoc est à Deo commissum: & dicitur Mediata vocatio.

Cur vocas Ministros Ecclesiæ?

Quia non sunt Domini, neque conscientijs dominari debent, aut alumnis Ecclesiæ, vel potestatem in illos exercere, aut vim inferre, vel prætextu Ministerij potestatem sibi arrogare condendarum legum. Non dominantes cleris, sed exemplaria facti gregis. Et

1.Pet. vlt.

Luc.22. Christus: Reges Gentium dominantur eis, &c. Vos autem non sic, sed qui maximus est inter

vos,

vos, sit sicut qui minimus est, & qui praecessor est, sicut QVI MINISTRAT.

Quid est Minister Ecclesiæ?

Est persona legitimè vocata, authoritate divina, ad curam animarum sibi commissi gregis, ut doceat verbũ Dei, & administret Sacramenta, iuxta Christi institutionem.

Quibus à Deo commissum est ius vocandi Ministros Ecclesiæ?

Hac vera est, & legitima vocatio, quæ fit ab Ecclesia, siue præcipuis eius membris, quibus ea committit, & qui iudicio valent.

Quid requiritur in Ministro Ecclesiæ, vt sit idoneus?

Primùm, vt sit legitimè vocatus, Ier. 23. Currebant, & non misi eos.

Secundò, vt sit rectè institutus in verbo Dei, tenens formam sanorum verborum. 1. Tim. 1. Tit. 1.

Tertiò, vt sit διδακτικὸς, qui propriè & perspicuè sanam doctrinam possit proponere, ac rectè verbum Dei secare. Quam ad rem liberalium artium dicendi cognitio, linguarumq; peritia requiritur. 1. Tim. 3.

Quartò, fidem & prudentiam adhibeat, in gubernando, rogendis, informandis, & consolandis conscientijs.

Quin. ò, vt typus sit fidelium in vita & cõuersatione, praluceat vitæ sanctimonia, & sit irreprehensibilis.

Vide 1. Tim. 3. Tit. 1. quibus coloribus Apostolus Episcopum depingat.

Licet ne Ministris Ecclesiæ esse coniugatis?

Sic Honesti mariti hinc non sunt excludendi, aut negligendi, si istis virtutibus sint ornati, quas alioquin Apostolus in Ministro Ecclesiæ requirit. Non solùm. n. in genere dicitur:

Heb. 13. *Coniugium honorabile in omnibus: sed etiam in specie de Episcopis ex Spiritu sancto dicit*

1. Tim. 3. *Apostolus: vt Episcopus sit vnius vxoris maritus, quò castè viuere possit, & typus fidelium sit in conuersatione. Ideoq; turpes Sacerdotia ab officio remoueantur omnes.*

Quod est officium Ministrorũ Ecclesiæ?

Docere sincerum & incorruptũ Dei verbum, administrare Sacramenta iuxta Christi institutionem, gubernare Ecclesiam Filij Dei, lupos arcere, contradicentes conuincere, & similia, de quibus Christus Matth. 16. & vlt. Ioan. 20. docet, & Apostolus in suis Epistolis, quas ad Timotheum, & Titum, in hoc Argumenti genere scripsit, quæ huc sunt referenda.

Li-

Licet ne petere conditionem Ecclesiasticam?

Maximè. Hoc enim aliud non est, quàm deferre operam suam Ecclesiæ: hac conditione, vt liberum relinquat alijs iudicium, num sis idoneus, ijs videlicet, ad quos hæc cognitio pertinet. Et ita tantùm est, suam significare voluntatem, ne talentum sibi concreditum quis suffodiat.

Proba hoc.

1. Tim. 3. Si quis Episcopatum expetit, bonum opus desiderat.

Quis debet esse finis, scopus & propositum Ministri Ecclesiæ?

Gloria Dei, illustratio nominis ipsius, Ecclesiæ ædificatio, salus proximorum. Hic finis est, & debet esse principalis.

Finis autem subordinatus, victus proprius & familiæ.

Quæ sunt pugnantia cum Ministerio Ecclesiæ?

Absque vocatione se ingerere in Ministerium. Errores spargere, & falsa dogmata comminisci & serere. Ventrem, & quæ sua sunt, quærere, & non quæ Christi. Idololatriam exercere, Sacramenta mutilare, &

prophanare ad Missas pro viuis & defunctis. Abuti clauium potestate ad tyrannidem, vel nundinationes indulgentiarum, Contemptus & neglectus Ministerij. Ecclesia bona abalienare & diripere. Fame Ministros Ecclesiæ, conficere. Non fouere sumptibus Ecclesiæ discentes verbum Dei, vt in locum aliorum decedentiũ succedere possint idonei, &c. Pontificatus deniq; Romanus, Papa, Cardinales, Episcopi, Sacrificuli Pontificij, Esanitæ, qui falsa serunt dogmata, Idolomaniam multiplicem defendunt, sacra omnia diuinitus instituta prophanant, & vendunt turpi quæstus gratia. Et omnes falsi Doctores, & Haretici.

Sunt'ne Euangelici Ecclesiæ Ministri (quòd à Pontificijs, qui se in ordinaria loci successione esse iactitant, non sint vncti, rasi, & consecrati) legitimi?

Respondeo. Maximè. Quia vocantur ab Ecclesia vera (quod loco de Ecclesia probatur) quæ est materfamiliâs, habet claues, & ius eligendi & vocandi. Ac ordinantur à veris Ecclesiæ Ministris, qui sanam & sincera-

ram,

ram, atq; incorruptam verbi Dei doctrinam sonant, quod ipsis licere, iam demonstratum est. Et ritus isti Leuitici, vnctio, Rasura, etc. nihil ad nos, nec ad rem faciunt, sed iam olim sunt abrogati cum reliquis ceremonijs Mosi. Sicut & Apostoli, sola manuum impositione Ecclesiæ Ministros ordinârunt, & commendârunt.

De Sacramentis noui Testamenti.

Quid significat vocabulum Sacramenti?

NObis in Ecclesia, sacros ritus, diuinitus institutos, significat, & ferè Græcam vocem μυστήριον sic reddunt nostri, quòd pleni sint mysterijs. Ac generaliter non Sacramentatantùm, sic propriè dicta, sed etiam omnia signa complectitur, quæ Deus proposuit, vt de suarum promissionum veritate nos certiores reddat. Qualia fuêre, tunicæ pelliceæ: Arcus in nubibus, vel iris: Vellus Gedeonis: Sol retrogradus tempore Hiskiæ: Sacrificia, nedum Circumcisio, & Agnus Paschalis.

Acc. fol. 119.

Quid est Sacramentum?

Propriè loquendo, est ceremonia vel sacra actio, in Euangelio diuinitus instituta, cui stans verbo Dei & Elementa, qua tanquam sigilla, promissio Euãgelij propria, de gratia & recõciliatione cum Deo, applicatur, confirmatur & obsignatur. Atq; ita Sacramenta nihil aliud sunt, quàm promissiones Euangelicæ, certa externa ceremonia vestitæ.

Alij breuius ita definierunt: Sacramentum est sacra rei signum. Item: Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibilis forma.

Quot requiruntur ad quoduis Sacramentum?

August duo requiri ait, cũ inquit: Accedat verbũ ad Elementũ, & fit Sacramentũ.

Quod rectè dicitur: sed dextrè est accipiendum, non ita nudè, nec simpliciter, aut generaliter.

Nam & Magi vtuntur Elementis, hoc est, creaturis Dei, herbis, cereis, & alijs, (sicut & Pontificij) additis verbis diuinis: sed non legitimè coniunguntur: quia non secundum ordinationem diuinam. Ideo non Sacramenta, sed sacrilegia, & execramenta iudicanda sunt. Quare cùm dicitur: Ad Sacramentum quod-

quoduis requiri verbum Dei, & Elementum: interpretandum est id, & restringendum ad verbum institutionis, mandati, seu ordinationis diuinæ, cui addita sit à Deo ipso promissio, quòd sit signum gratiæ ipsius, quo signo certiores reddimur de remissione peccatorum. Planius itaq; erit, si dicatur, verbo, quo Sacramentum constat, comprehendi primùm, institutionem diuinam.

2. Promissionem gratiæ additam.

3. Mandatum & ordinationem Dei, vt sit signum, quo certiores de remissione peccatorum reddimur.

Deinde Elementum etiam nõ quoduis intelligatur: sed id demũ, quod Deus quoq; ordinauit ad Sacramentum, vt est in Baptismo, aqua: in Cœna Domini, panis & vinum. Hoc est, quod iterum idem Augustinus dixit: Sacramentum esse verbum visibile.

Quis est author Sacramentorum?

Deus immediatè, cuius solius est instituere Sacramenta verbo suo. Sicut etiã Scholastici rectè dixerunt: Sacramentorũ institutionem esse excellentiæ, potestatis, & maiestatis diuinæ. Sicut .n. Ecclesia potestatem non habet, nouos fidei articulos condendi: sic nec in Thomas Aquinas.

eius, nec vllius hominis est potestate, Sacramenta instituere.

Cur sunt instituta Sacramenta?

Propter hominum imbecillitatem, & fidei infirmitatem: quæ tanta est, vt solo Dei verbo, & nuda eius ac simplici promissione niti non queat. Ideoq; ad fulciendã & stabiliendam fidem, Deus semper verbo promissionis suæ, signa quædam & Sacramenta addidit, vt spiritualia per corporalia nobis exhiberet.

Quotuplicia sunt Sacramenta?

Duplicia. Veteris, quæ ante Christum exhibitum, & noui Testamenti, quæ post ipsius aduentum in Ecclesia populi Dei sunt & fuerunt, verbo Dei instituta. Illa, res absentes & futuras, figuris & vmbris significabant. Hæc verò, res præsentes exhibent, corpus ipsum, Christum scilicet.

Qui sunt fines Sacramentorum?

Principalis est vt sint signa voluntatis Dei erga nos, incurrentia in oculos, videlicet testimonia addita promissioni, de gratuita peccatorum remissione, & reconciliatione cum Deo, fidem infirmam confirmantia, per quæ Deus est efficax.

Sicut

Sicut Paulus dicit, Abraham accepisse signum Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, id est, testimonium & diuinum sigillum, quo Deus, tanquam literis & sigillo, testatus sit, & confirmârit, eum receptum esse in gratiam. Rom. 4.

Secundò, sunt notæ professionis, quibus nos à reliquis Sectis separamus. Vt qui integram secundum Christi institutionem, Cœnam apud nos percipit: ille profitetur, se nostram religionem pro vera agnoscere, &c. Qui verò mutilam & dimidiatam, à Pontificijs accipit: ille hoc ipso profitetur, se omnia illorum dogmata, cultus, Religionemq; probare.

Tertiò, sunt notæ Ecclesiæ, atq; nerui publicæ congregationis Ecclesiasticæ.

Quartò, typi sunt, qui admonent de multis vitæ officijs. Baptismus, hoc est, immersio in aquam, de mortificatione carnis. Ro. 6. Cœna Domini, de mutua & fraterna charitate: sicut ex multis granis vnus fit panis, &c. De gratiarum actione erga DEVM, &c.

Quintò, singulis applicatur promissio gratiæ, aliâs generalis. Baptizo TE: Accipe,

manduca, hoc est corpus Christi, quod PRO TE est traditum, &c.

Quot & quæ fuerunt veteris Testamenti Sacramenta?

Duo, Circumcisio, & Agnus Paschalis. In illius locum Baptismus successit. Coloss. 2. In huius, Cœna Domini. 1. Cor. 5. Paschanostrum immolatus est Christus.

Quod est discrimen inter Sacramenta veteris & noui Testamenti?

Quod ad finem & usum attinet, nullum est discrimen inter illa & hæc: sed tantùm differunt primùm Ceremonijs. Veteris enim Testamenti Sacramenta, quod ad ritum attinebat, venturum Christum prænunciârunt, adumbrârunt & præsignificauerunt. Noui verò Testamenti eundem exhibitum testantur, & OFFERVNT. Ideoq; illa, exhibito Christo sunt abrogata, nouis institutis. Matth. 26. 28.

Secundò, veteris Testamenti sacrificia, fuêre tantùm umbræ, typica, & significatiua futuri Messiæ: Noui Testamenti exhibitiua: Exhibent enim nobis Christum ipsum. Vnde Christus dicit: Hic est sanguis meus

meum noui Testamenti. Vinum non significat eius sanguinem in calice, sed EST sanguis ipsius. Ideo dicitur: Hic calix, nouum Testamentum EST, in meo sanguine. Verbum substantiale est.

Vetus fuit sanguis veteris Testamenti: significabat autem sanguinem noui Testamenti, qui in Cœna iam verè exhibetur, dicente Christo: Hic calix, nouum Testamentum est, in meo sanguine.

Quis est vsus & effectus Sacramentorum?

Primùm media sunt, & instrumenta, per quæ efficax est Deus, illisq; vtitur ad operandum in hominibus, per Spiritum sanctum, conuersionem, renouationem & salutem. Quia illis offert, exhibet, applicat, & obsignat Christus sua singulis beneficia, nempe remissionem peccatorum gratuitam: sicut per Baptismum nos abluit à peccatis, & donat Spiritum sanctum: quæ fide accipi necesse est.

Non ergo propter ipsum sumptionis opus conferunt gratiam: sed mediatè, instrumentaliter, & ministerialiter, nempe, fide percepta & sumpta.

Proba

Proba hoc.

Act. 2. inquit Petrus: Baptizetur vnusquisque vestrûm, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti.

Tit. 3. Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.

Secundus vsus Sacramentorum est, vt ijs fides nostra confirmetur, quæ solo verbo Dei niti difficulter potest: Etsi id per se sufficere merito debeat, cùm à Deo, qui veritas est, sit profectum. Sed tanta est fidei imbecillitas, vt verbo solo contenta esse & acquiescere non possit. Huic ergo Deus vt consuleret, addidit Sacramenta, quæ sigilla dicuntur, propter effectum. Quemadmodum enim sigillis appensis, literæ, & in ijs, vel promissiones, vel pacta & transacta confirmantur: ita Sacramentis, promissiones gratiæ, vt de illis fides nostra reddatur certior, & confirmetur: sicut Christus in Cœnæ suæ institutione dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in mei commemorationem.

Tertius, vt in vita nouitate proficiamus, & con-

conseruemur. Hoc enim Spiritus sanctus per Sacramenta in nobis operatur. Vt in Cœna, cùm pascimur carne Christi, viuifica est hæc, Ioan. 6.

Item, sunt nerui publicorum conuentuum Ecclesiæ, eius coniunctionis, & propagationis doctrinæ cœlestis.

Quæ sunt pugnantia cum Sacramentis?

Variæ opiniones. Scholastici Doctores & Pontificij docent, homines, vtentes Sacramentis, ex opere operato iustos fieri, eaq; conferre gratiam: modò ne quis ponat obicem, id est, ne habeat Actuale propositum peccati mortalis, etiamsi nullum bonum motum cordis addat: hoc est, etiamsi fide careat. Anabaptistæ fingunt, esse Symbola inania, & notas tantùm professionis, atq; bonorum operum allegorias.

Schuuenckfeldiani, non admodum ijs opus esse arbitrantur: ac perinde esse, num quis ijs vtatur, nec ne.

His non multò honorificentiùs, Cingliani veteres & noui sentiunt, vtcunque præstigijs ludant, & fucum facere imperitis conentur. Certum enim est, eos sentire, Christum tantùm

tuns à Sacramentis abesse, quantum summũ cœlum distat ab infima terra. Et vt plurimũ, de eorum effectu tantùm quadam dicunt, substantia neglecta & negata.

Enthusiastæ sentiunt, Spiritus sancti reuelationem sufficere. Sacramenta non magnoperè esse necessaria, sed ferè indifferentia. Ideoq; negligunt & contemnunt.

Alij tesseras tantùm esse dicunt, & notas, quibus diuersæ Religionis homines discernantur.

Alij negant, Sacramenta diuinitus instituta, organa esse, per quæ Deus gratiam suam in nos conferat.

Pontificij docent, Sacramenta ex opere operato, hoc est, opere & merito ipsius sumptionis conferre gratiam. Item, non plura nec pauciora esse, quàm septem.

De numero Sacramentorum.

Quot sunt Sacramenta?

Si vocabulum Sacramenti generaliter accipiatur, pro quocunque opere à Deo mandato, cui addita est promissio aliqua, vel vt sit su-

sit sacræ rei signum: plurima erunt Sacramenta. Et hac ratione, non solùm coniugium inter Sacramenta referetur, sed etiam aliæ opera, quæ habent annexas promissiones diuinas: vt Condonatio iniuriæ, Oratio, Eleemosyna, &c.

Sed si propriè vocabulum Sacramenti accipiatur, pro ceremonia, in prædicatione Christi instituta, constante verbo Dei, & Elemento, habente annexam promissionem remissionis peccatorum: duo tantùm sunt Sacramenta, Baptismus, & Cœna Domini.

Quot numerant Papistæ Sacramenta?

Septem. Quæ sunt illa? Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Coniugium, Sacramentum altaris, Ordo, & Extrema vnctio. Anat. 117.

Horum quædam Elemento carent, vt Pœnitentia, Coniugium, Ordo. Quædam promissione gratuitæ Dei misericordiæ & remissionis peccatorum, &c.

DE

De Baptismo.

De Etymo.

BΑπτίζω, *immergere, vel aqua tingere, ac lauare significat. Vnde Baptismus mersionem vel lauacrum, quo mundantur homines, significat. Sicut in hunc finem gentiles aqua lustrali vsi sunt. Et Iudais frequens purificationis & ablutionis vsus fuit, quotiès immundi reputabantur.*

Quid est Baptismus?

Baptismus est sacra actio, seu Sacramentum, hoc est, diuinum signaculum, in nouo Testamento diuinitus institutum, constans verbo mandati & promissionis DEI, & aqua: quo homines peccatores in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti abluuntur, & in mortem Christi baptizati, accipiunt remissionem peccatorum, & regenerantur ad vitam aternam.

Quotuplex est Baptismus?

Respondemus cum Apostolo: Vnus Dominus, vna Fides, VNVM BAPTISMA.

A Deo

A quo est institutus Baptismus?

A Deo in nouo Testamento. Ioannes Baptista primus fuit Minister, qui baptizauit: sed non sua, hoc est humana authoritate, verùm diuina potestate id fecit, sicut ipse testatur, inquiens: Qui misit me baptizare. Et Ioan. 1. *Christus Principes Sacerdotum, & Seniores* Matth. 21. *populi interrogat de Baptismo Ioannis, num è cœlo fuerit: id est, immediatè à Deo, an verò ex hominibus? Luc. 7. dicuntur Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreuisse in semetipsos, nolentes baptizari à Ioanne. Postea tamen à Christo est sancitus per uniuersum terrarum orbem administrandus, Matth. vlt. addita formula.*

Quæ est forma Baptismatis?

Formula baptizandi est à Christo ipso addita, Matth. & Marci vltimis capitibus: Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Materia & Elementum Baptismi, est aqua. Hanc magicè consecrant Pontificij, pridie Paschatis, sicut & Chrisma. Quorum nihil in tota sacra Scriptura noui Testamenti habetur: sed vbicunque copiam aqua habuerunt, illic baptizauerunt, hoc est, immerserunt in aquam. Act. 8.

Eſt ne Baptiſmus ad ſalutem neceſſarius?

Eſt neceſſarius, iuxta illud Chriſti: Niſi
Ioan. 3. *quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Sicut Circũ-*
Gen. 17. *ciſio in veteri Teſtamento, de qua Dominus ipſe dicit: Maſculus, cuius præputij caro non fuerit octaua die circumciſa, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum fecit irritum.*

Quomodo eſt neceſſarius?

Non quòd per ipſius operis dignitatem ſaluet. Non enim Sacramenta ipſa, ſed fides Sacramentorum, hoc eſt, fides amplectens promiſſionem, cui additum eſt Sacramentum, iuſtificat, & ſaluat.

Et Sacramenta & ceremonia habent diſpenſationem, vbi non ex contemptu negliguntur, ſed neceſſitate inuitabili excluduntur homines. Neceſſitas caret lege: vt infantes, qui vel in vtero, vel in partu extinguuntur. Sicut etiam infantes Iſraëlitici, qui in deſerto quadraginta annis nati ſunt, non fuêre circumciſi, propter continuas peregrinationes, ad mandatum Dei. Nec tamen exiſti-

man-

mandũ est, eos, qui interea mortui sunt, propterea fuisse damnatos.

Idem esto de alijs infantibus populi Israëlitici iudicium, qui ante octauum diem è vitâ excesserunt, priusquam circumciderentur, mandato Dei obtemperantes, istumq; expectantes diem.

Tyrannide verò non patiamur nos vel nostros impediri à Baptismo: Hæc enim non est causa sufficiens. Imò pars est confessionis, vel abnegationis, si in tali casu omittatur. Ideoq; rectè fecerunt piæ matronæ, quòd trucidari maluerunt, quàm suos infantes relinquere incircumcisos. 2. Mach. 6.

Sed necessarius est Baptismus, primùm propter ordinationem diuinam, quia diuinitus est institutus, vt suscipiatur. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.

Deinde necessarius est Baptismus, vt ordinarium regenerationis lauacrum.

Tertiò, quia signaculum est, quo Christus publicè confirmat, se baptizato credenti exhibere omnia cœlestia bona, quæ ipse peperit, & per Euangelium promittuntur. Sicut in inuestitura, consecratione, & benedictione, coniugij fœderibus, & stipulationibus fieri consueuit.

Est ne repetendus vel reiterandus Baptismus?

Non. Quare non? Quia ordinatio Dei, & substantia Sacramentorum certa est, firma & rata: quam hominum incredulitas non facit irritam. In nouo Testamento nec mandatur repetitio, sicut in Cœna Dominicæ institutione, vbi dicitur: Quotiescunque, &c. nec iteratus legitur. Sicut nec in veteri Testamento Circumcisio repetebatur, sed semel tantùm fiebat. Huic autem in nouo Testamento successit, vt dictum est, Baptismus. Col. 2. In quo (Christo) circumcisi estis, circumcisione, non manu facta, in expolitione corporis carnis, sed in circumcisione Iesu Christi, consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.

Rom. 3.

Quis est vsus Baptismi?

Vt nobis promissionem de peccatorum remissione obsignet. Sicut Paulus circumcisionem vocat sigillum iustitiæ fidei, quo promissio de venturo Messia, eiusq; beneficijs fuit obsignata. Ita quoq; Baptismus, qui in locũ circumcisionis successit, signaculum est fidei. Et vt baptizatus hoc modo, per omnem vitam se con-

Rom. 4.

consoletur, & fidem suam exerceat, erigat, confirmet, conseruet, atq; omnes tentationes vincat, quòd videlicet à Deo sit receptus in gratiam.

Qui sunt effectus Baptismi.

1

1. Inserere nos Christo, & facere nos participes omnium ipsius meritorum, ac beneficiorum. Rom. 6. In mortem Christi baptizati sumus.

2

2. Facere nos membra corporis Christi,

3

& afferre Spiritum sanctum, 1. Corinth. 12. Etenim in vno spiritu nos omnes in vnũ corpus baptizati sumus: & omnes in vno spiritu potati sumus. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro eius.

3. Applicare, & conferre remissionem peccatorum, & iustitiam, salutem, regenerationem, & renouationem, Actor. 2. Baptizetur vnusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum, Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet eam (Ecclesiam) sibi gloriosam, non habentem rugam, neque maculam: sed vt sit sancta, & irreprehensibilis. Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.

4. *Afferre bonam conscientiam*, 1. Pet. 3. *Baptismus nos quoq; saluos reddit, qui nõ est sordium corporis depositio, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Christi.*

In Baptismo enim Deus non solùm profitetur, se nos in gratiam recipere per fœdus hoc: sed simul abluit nos sanguine Filij sui, & emundat ab omnibus peccatorum nostrorum sordibus. Nos vicissim profitemur, nos agnoscere & amplecti hæc beneficia per Christum parta. Vnde sequitur pax, & gaudium conscientiæ.

Accipiunt'ne verum Baptismum non credentes?

Diligenter distinguendum est inter ipsum Baptismum, siue substantiam Baptismi: & usum vel fidem, quam in usu Baptismi accedere necesse est, si salutarem esse velimus. Est enim & manet semper verus Baptismus, siue baptizatus credat, siue non credat: quemadmodum etiam Cœna Domini, & in ea verum corpus & sanguis Christi, distribuuntur & accipiuntur.

Quid

Quid significat Baptismus?

Primùm & principaliter ablutionem peccati, quam tamen non significat solùm, sed simul etiam operatur. Quemadmodum enim aliâs aquâ corporis sordes abluuntur: ita aqua Baptismi, quæ sola non est, sed cum sanguine Christi in Baptismo coniuncta, sordes peccatorum emundat, purgat, & abluit. Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus.

Secundò, regenerationem, ritus ipse Baptismi. Immersio enim significat, veterem hominem mori cum peccato. Emersio verò ex aquis, significat nouum hominem, iam Deo placentem, quasi ex morte peccatorum surgere, ac redire. Ibidem, Rom. 6. Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in vitæ nouitate ambulemus.

Tertiò, carnis mortificationem, vitæ nouitatem, crucem quoque & tribulationem: quæ omnia, per mersionis ritum significantur.

Manetne, an verò tollitur peccatum in Baptismo?

Manet ipse morbus, id est, peccatum originis, vel concupiscentia, & sic radix mali, in homine etiam renato, nec tollitur ex natura: sed tollitur reatus, id est, condonantur peccata omnia in Baptismo, & Originale & Actua-
Mich. vlt. *lia, si quæ sunt, (vt in adultis admissa) & in profundum maris abijciuntur.*

Quinam sunt baptizandi?

Omnes gentes, quæ de Euangelio docentur, Matth. & Marc. vlt. cap. Agentes pœnitentiam, & credentes in Christum: sicut de Baptista scribitur. Luc. 3. quòd prædicauerit Baptismum pœnitentiæ. Matth. 3. Baptizabãtur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Actor. 2. Agentes pœnitentiam, & credentes in Christum baptizantur ab Apostlis in die Pentecostes aliquot millia.

De Baptismo infantum.

Sunt ne Infantes baptizandi?

1. *Maximè? Proba. Quia Christus baptizari iussit omnes gentes. In numero gentium, etiam infantes comprehenduntur, Ergo ad hos quoq; Baptismus pertinet.*

Idem

Idem vult ad se venire infantes, & non à se prohiberi, vel arceri, cùm hoc ex professo agerent Apostoli: & impositis manibus, benedixit illis, etsi non baptizauerit illos. Non enim ipse baptizasse legitur, sed Apostoli: & erant hi infantes circumcisi. Mar: 10. Ioan. 4.

Item: Quod ex carne natum est, caro est, id est, peccato contaminatum, & damnationi obnoxium. Etsi enim ex pijs & renatis parentibus nascantur: tamen non ea parte generant, qua sunt renati ipsi, sed qua peccatores. Sicut non ex semine vel grano arboris frugiferæ in horto, arbor quæ bonum fructum afferat, nascitur, sed insitione surculi est opus. Ideoq; renasci illos oportet. Et nisi quis renascatur ex aqua & Spiritu, Regnum Dei ingredi non potest. Ideo baptizandi sunt: quia ipsorum quoq; est Regnum cœlorum. Ioan. 3.

Item: Credentes sunt baptizandi. Infantes credunt. Matth. 18. Ideo sunt baptizandi: nec potest illis signum negari. Actor. 2. Vbi de Baptismo agitur, Petrus inquit: Vobis & filijs vestris est promissio, & omnibus, qui longè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus Deus noster.

Credunt ne infantes?

Etsi, quomodo credant infantes, scire non possumus: tamen fidem eos habere, certum est, Christo affirmante, testimoniumq; illis perhibente. Sicut Spiritus sanctus pronunciat, pullos corvorum DEVM invocare. Et Paulus

Rom. 8. *Apostolus, Creaturam omnem ingemiscere testatur. Quemadmodum & mentem rationalem habent, quod tamen nesciunt, eiusq; usu carent, qui temporis successu, cum annis accedit. Licet enim fidem Deus in infantibus non eodem modo operetur, quo in adultis, per verbi sui auditum: tamen viam, modum, & rationem sibi notam excogitare, & invenire pro sua sapientia potest facilimè, qua efficiat,*

Luc. 1. *ut credant: qui effecit, ut Baptista in utero matris Christum agnosceret, & præ gaudio exultaret. Quam etsi nos non videamus: tamen non ideo nullam esse, existimandum est. Certiora enim sunt Christi verba, quàm noster intellectus & ratio.*

Dic alia Argumenta, quibus infantes baptizandos esse probatur?

Apo-

Apostoli totas domus, id est, familias, & omnes homines in domibus baptizasse legunt. Ergo & infantes.

Praterea Baptismus Circumcisioni successit. Col. 2. Ex mandato autem Dei infantes circumcidebantur octaua die, & promissionem addidit Dominus, se fore Deum, non Abrahæ tantùm, sed etiam seminis ipsius. Ideo & nostri infantes baptizandi, & pertinet ad illos promissio gratiæ. Nec peius in Nouo Testamento habere debemus, quàm illi in veteri. Adhæc, ad infantes pertinent promissiones gratiæ & æternæ vitæ. Nam Christus dicit: Talium est regnum cœlorum, infantum scilicet, qui mihi offeruntur. Item: Non est voluntas Patris vestri cœlestis, vt pereat vnus de pusillis istis, qui scilicet mihi adducuntur. Gen. 17.

Cùm igitur ad infantes promissiones illæ gratiæ pertineant de Regno cœlorum: Ergo & signum, Baptismus scilicet.

Insuper, mandatum de Baptismo, est vniuersale, & ad totam Ecclesiam pertinet: Ite in orbem vniuersum, baptizate eos. Et: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest ingredi in Regnum cœlorum.

Ori-

Origenes, Cyprianus, & Augustinus, vetusti Scriptores, testantur, ab Apostolis acceptam consuetudinem baptizandi infantes.

Quòd si infantes in Baptismo renascuntur, quid fit, quòd cum annis malitiam magis, quàm pietatem prodant?

Respondeo. Quia etsi per Baptismum à peccatis abluuntur: tamen morbus peccati originalis, & concupiscentia prava, ipsamen tolluntur ex natura hominis: sed manent per omnem vitam, altissimè naturæ infixa, & inhærentia, vt eradicari penitùs non possint. Nec ita fit regeneratio, vt nihil mali relinquatur. Sed tamen si per fidem in Christum repugnetur malo, non ad damnationem imputatur, iuxta illud: Nulla iam damnatio his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. *Non dicit: nullum malum, nullum peccatum iam amplius est reliquum: sed nulla damnatio, facta peccatorum remissione.* Rom. 8.

De Baptismate Iohannis, Christi & Apostolorum.

Est

Est ne aliquod inter hæc discrimen?

In quibusdam conueniunt, in quibusdam differunt.

In quo conueniunt?

Primùm, vnus est & idem, Baptismi Ioannis, Christi, & Apostolorum, author, quod Diuina authoritate immediatè est institutum. Ioannes enim Baptista, qui primus eius fuit minister, non humana, aut propria authoritate baptizauit, sed mandato & authoritate Dei. Ioan. 1. Qui misit me (Deus) baptizare in aqua, &c. sicut suprà de causa efficiente, & authore est dictum.

Deinde, eundem effectum, vterq; Baptismus habuit, qui est in remissionem peccatorum: sicut Lucas vtrunq; testatur, vno & eodem testimonio: Factum est verbum Domini Luc. 3. *super Iohannem Zacharia filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Christus autem eum postea immediatè sancit per totum terrarum orbem inter omnes Gentes administrandum, addita formula verborum.

In

In quo differunt?

Primùm in hoc, quòd Ioannes quemadmodum post se venturum prædicauit Christum, Ioan. 1. ita etiam in venturum baptizauit. Actor. 19. Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum.

Ita Apostoli, quemadmodum exhibitum iam Christum prædicauerunt: sic quoque in eum exhibitum baptizauerunt. Qualis enim est prædicatio, talis est & Baptismus. Atque ita sola formula differunt.

Deinde verò ingens est discrimen inter personas, Christi scilicet, Ioannis & Apostolorum, siue quorumcunque hominum, quoad Baptismum. Ioannes enim & omnes Apostoli, eorumq; successores, Ministri tantùm sunt, & fuerunt, ac serui: Christus verò Dominus & Magister.

Ioannes & Apostoli, salutis sunt organa, Christus salutis author.

Sic & Baptismus Ioannis fuit salutis Ministerium: Baptismus Christi salutis Magisterium.

Discernit itaq; Baptista, non Baptismum

à Ba-

à Baptismo, sed personam suam à Christi persona: seq; confert cum illo, hoc modo, vt se ministrum, illum Dominum, & datorem Spiritus sancti dicat. Et hanc virtutem, hoc discrimen visibili signo & miraculo declaraturum, quando Spiritum sanctum Apostolis specie & forma linguarũ ignearum, sit missurus.

De Cœna Domini.

Quæ sunt appellationes Cœnæ Dominicæ?

VAria. Dicitur enim Eucharistia à fine: dicitur Synaxis, quòd à tota Ecclesia celebretur: Cœna Domini: Communio, Sacramentum altaris, &c.

Quid est Cœna Dominica?

Est Sacramentum, seu diuinum signaculum, quo Christus verè & substantialiter præsens, offert & exhibet nobis pane & vino verum suum corpus & sanguinem suum: & certificat nos, quòd remittantur nobis per & propter ipsum peccata, nosq; faciat membra sui corporis, ac participes omnium

ſuorum beneficiorum, & pertineat ad nos in vita æterna.

Siue, vt vir Dei, ac repurgator doctrinæ cœleſtis D.D. Martinus Lutherus in ſuo Catechiſmo: Sacramentum altaris eſt, verum corpus, & verus ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſub pane & vino nobis Chriſtianis ad manducandum, & bibendum, ab ipſo Chriſto inſtitutum.

Cur dicis, ſub, cum, vel in pane, corpus Chriſti eſſe: cùm Scriptura ſacra his vocabulis non vtatur?

Reſpondeo. Etſi hæ literæ & ſyllabæ non habeantur hoc modo in Scriptura: tamen res ipſa & ſententia illarum, in ea habetur. Chriſtus enim panem à ſe conſecratum porrigens, affirmat, ſe ſuum corpus exhibere. Quod Apoſtolus enunciat totidem ferè literis & ſyllabis: Calix, inquiens, benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt. Item: Hic calix nouum Teſtamentum eſt in MEO SANGVINE: id eſt: Vinum eſt ſanguis meus: non conſubſtantiatione, commixtione, vel tranſubſtantiatione:

aut

aut inclusione locali, vel copulatione naturali, sed unione Sacramentali, qua fit, ut unum de altero predicetur, & vno posito, alterum intelligatur, sicut Filius Dei, & hominis personalis vnio. Ita corpus & sanguis Christi, cũ pane & vino substantialiter copulantur: vt presentia corporis & sanguinis Christi, cum, sub, vel in pane credenda sit: ita vt perrectis pane & vino, simul adsint, & verè exhibeantur corpus & sanguis eius, iuxta verba institutionis Christi, dicentis de pane: Hoc est corpus meum. Et Apostolo interprete: Panis est communicatio corporis Christi, & vinũ sanguinis eius communicatio, hoc est, cum, sub, vel per panem & vinum, communicatur vescentibus & bibentibus corpus & sanguis Christi.

Ideo aũ vtimur istis vocabulis, vt sciamus, duas res distinctas in Coena esse, exhiberi, & accipi, cælestem, corpus scilicet & sanguinem Christi: & terrestrẽ, elementarem panem, & vinum. Nec tamen transsubstantiationem esse (qua hoc modo planè excluditur) sed Sacramentalem vnionẽ corporis Christi, & panis.

Quid sibi volunt vocabula, Substantialiter, Realiter, corporaliter, essentialiter corpus Christi in Coena exhiberi?

Respondeo. Non modum praesentiæ corporis Christi in Cœna localem, vel circumscriptum (hoc enim modo corpus Christi in Cœna non asserimus) sed tantùm veram praesentiam corporis in cœna, his vocabulis describimus: Idq; contra iam vsitatum errorem eorum, qui loco corporis eius, Ecclesiæ obtrudunt inania & nuda symbola, signa, & figuram absentis corporis & sanguinis Christi.

Sunt'ne veteres quoque sic locuti?

Chrysost. *Maximè. Chrysost. in Ioan. Homil. 45. Non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & DENTES CARNI SVÆ INFIGI, & desiderio sui omnes impleri.*

Cyrill. *Sic Cyrillus quoq; ait: Omnes .n. vno pane participamus. An fortasse putat, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cùm in nobis sit, nonne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare?*

Et iterum: CORPORALITER enim Filius Dei per benedictionẽ mysticã nobis, vt homo vnitur: Spiritualiter, vt Deus.

Et idem iterum: Per Filium enim Dei naturæ vnitũ Patri, CORPOLITER, substantialiter (vt dictum est) clarificamur, glorificamurq;.

Quis

Quis est modus præsentiæ corporis Christi in Cœna Domini?

~~Non est Physicus, naturalis, vel localis, aut Capernaiticus: sed cœlestis est modus, supernaturalis, spiritualis, insensibilis, qui sola fide percipitur.~~ *Credendus igitur iuxta Christi instituẽtis & ꝓmittentis verba: Hoc est corpus meũ, etc. sed vt alia, quæ dixit, & promisit, non ratione, in sacris cæca, intelligendus.*

Localis absentia et ꝑsentia nil ad cœnæ institutionem faciunt sed ꝑsonalis ꝯpresentia quæ ꝑstat.

Sed hoc, quod de corporis Christi præsentia in Cœna dicitur, contra proprietatem corporis veri & naturalis esse videtur?

Respondeo. Quòd si regulas Physicas & rerum naturam, atque ordinem considerare voluerimus: omnes fidei articuli, & tota ferè Theologia euertentur, vt rerum creatio ex nihilo, Mysterium Trinitatis, Incarnatio, & Vnio Filij Dei, cum homine in persona Christi, resurrectio mortuorum, &c.

Sicut igitur (quod ad præsens institutum) principium huius Disputationis, hoc est, Incarnatio Filij Dei, est præter & supra rerum seriem: Ita plæraq; omnia, quæ inde sequuntur, vt Natiuitas eius ex virgine, &c.

Sic præsentia veri eius corporis in Cœna, etsi præter & supra rerum naturam, ac corporis proprietatẽ sit, impossibilis tamen DEO non est.

Non tamen localiter circumscriptum vbique esse asserimus, quo modo nunquam diximus, quòd sit vbiq;, aut in Cœna: sed alio modo, spirituali & incomprehensibili, omnes penetrans creaturas, & tamen loco nõ comprehendatur. Sicut sonus, color & lux transeunt per aërem, & aquam, nec tamen loco tenentur. Item, cœlesti modo, sicut homo Christus cum Filio Dei λόγῳ, vna est persona, homo sedet ad dexteram Dei omnipotentis: quo modo omnes creaturæ ipsi sunt præsentes.

Quot, & quæ requiruntur ad substantiam Cœnæ Dominicæ?

Tria. 1. Panis & vinum. 2. Corpus & sanguis Christi. 3. Externus vsus Sacramenti, qui in manducando & bibendo consistit.

Proba.

Quia Christus hoc modo instituit. Institutio aũt Christi facit Sacramentum. Primùm enim accepit panẽ & vinum. Deinde his pronunciauit: Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus. Quæsi non adsint, corpus & sanguis Christi, quod ipse dixit: hoc non est Cœnam Domini manducare, sed est vulgare, prophanum, & quotidianum conuiuiolũ celebrare, postea dixit: Accipite, manducate, Bibite ex hoc omnes.

Et omnes textus circumstantiæ, hoc ipsum docent, verba institutionis secundum nativã, & genuinam proprietatem accipienda: non metaphoricè, aut metonymicè. Mentionem enim facit panis, & vini: quæ vera & naturalia fuêre. Hæc præcipit edi & bibi, ore corporis. Et dicit: Suum esse, hæc, quæ porrigit illis, corpus & sanguinem. Loquitur autem de naturali & vero suo corpore, quod traditurus erat in cruce ad mortem, & calicem vocat noui Testamenti, in suo sanguine, qui itidem verus est, & naturalis, profusus in cruce ad expianda nostra peccata.

Tertiò, de vsu dixit: Manducate & bibite: extra quem vsum nõ est Sacramentum. Sacramenta n extra suum legitimum vsum, ad quem diuinitus sunt instituta, Sacramenta non sunt. Vt in sacrificio Missæ, vbi offertur Deo panis consecratus pro peccatis viuorum, & mortuorum: aut circumgestatur, includitur, vel reponitur ad adorandum: ad quæ non est institutum hoc Sacramentum: ad quod etiam instituentis intentio requiritur, ipsissmet Scholasticis testibus.

A quo est instituta Coena?

A Christo ipso. Quando? Post vltimam Coenã, quam cum discipulis habuit, Agnum

Paschalem comedens cum eis ea nocte, qua tradebatur. Hoc modo finiuit vetus, & instituit nouum Testamentum, in suo sanguine.

Quid facit Coenam Dominicam?

Non verborum recitatio, quae dicitur consecratio, & (vt Papistae imaginantur) constat verborũ quinq; prolatione: HOC EST ENIM CORPVS MEVM: quod Magicũ est. Quam tamen omittendam nullo modo docemus, quia verba sunt institutionis. Nec etiam vel accipientis, vel distribuentis fides, Sacramẽtum, aut praesentiam corporis & sanguinis Christi in eo facit. Siue enim credat, siue non, veritas promissionis Christi constabit, qui seipsum negare non potest. Nec hominum incredulitas fidem Dei euacuat: sed omnipotens Dei virtus, verbum, & prima institutio Christi, & mandatum eius, quod voluit, hoc porrò etiam fieri, dicens: Hoc facite. Non quòd verborum recitationem negligendam sentiamus: haec enim primam eius institutionem nobis in memoriam reuocant, &c.

Quae est materia ex qua?

Panis & vinum: non alia materia, pomum, caseum

caseus, rapa, aqua, vel cereuisia: ~~& cum his corpus & sanguis ipsius~~. Sicut inquit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Verum autem, & substantiale corpus suum pro nobis tradidit: & verus ac substantialis ipsius sanguis in cruce pro nobis est effusus. Ergo verum corpus & sanguis Christi in Cœna nobis exhibentur: & quidem ea ipsa, quæ pro nobis dedit.

Quæ est forma?

Ea, quam ipse instituit, sicut ipse præcepit: Hoc facite, quod ad totam actionem pertinet, ea scilicet facienda, quæ ipse prior fecit, & sicut instituit, nempe vt pane corpus ipsius edamus, & vino sanguinem eius bibamus. Sicut diserte præcepit: Bibite ex hoc OMNES. Vbi OMNES non sacrificulos significat, quòd videlicet Apostolos tantùm, quos tum consecrauerit in Sacerdotes (vt Pontificij nugantur) pro Apostolis vnum, pro Laicis alterum, hoc est, dimidium, seu speciem vnam.

Sicut Paulus quoque formam Cœnæ Do-

minicæ præscribens Ecclesiæ Corinthiorum (quæ maxima ex parte Laicis constabat) sicut à Domino acceperat, calicis quoq; mentionem facit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est, in meo sanguine: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.

Vnde non sine grandi sacrilegio Pontificij μονοκλείπαι, *dimidium Sacramentũ administrant. Violatores Testamenti Christi. Hæc forma dat esse rei, qua corrupta & deformata, Cœna Domini non amplius manet. Quare nugas & commentum Pontificium de concomitantia, contra Sacramenti formam, & institutionem, non curamus.*

Quotuplex est manducatio corporis Christi.

Duplex. Sacramentalis, qua & oris dicitur, est, qua panis & vinum corporali modo manducatur & bibitur: & cum his etiam corpus & sanguis Christi, vt verba Christi habent. Et spiritualis, qua vera fide verum corpus, & sanguis Christi sumuntur,

vt

vt percipientes hæc, corporis ipsius membra fiant, & omnium ipsius beneficiorum participes efficiamur. Quæ spiritualis manducatio etiam extra vsum Sacramenti fieri potest, de qua Ioan. 6. In vero autem Sacramentali vsu vtraq; coniuncta est manducatio, Sacramentalis scilicet & spiritualis. Impij autem, increduli, vel indigni, tantùm Sacramentaliter hæc accipiunt.

Quibus est institutæ?

Non mortuis, sed viuis: iuxta hæc Christi, & Apostoli Pauli verba: Hoc facite in mei commemorationem: hoc est, vt Paulus interpretatur: Mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

Hoc autem mortui facere non possunt, qui Dominum in cœtu Ecclesiæ, in terra viuentium non laudant, nec edunt, aut bibunt, sicut à Christo dicitur: Comedite, bibite.

Sed viuis, qui edere possunt, & bibere, Christianis in Ecclesia resipiscentibus: quibus, sicut vnum Baptisma est institutum, ita vna quoq; Cœna Dominica omnibus ex æquo, siue Ministris, siue Laicis: sicut suprà de forma ex Paulo est probatum.

Quibus prodest? Qui ad eam sunt admittendi? & quomodo præparati esse debent?

Christiani, pœnitentiam agentes, & in Christum credentes, cum proposito veram emendandi vitam & mores. His enim tales, cõsolationem inde percipient, & fidei confirmationem: quòd intelligant, Christum ipsis propitium condonare peccata, & in ipsis velle esse efficacem.

1. Cor. 11. *Vnde Apostolus inquit: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de ca-*
2. Cor. vlt. *lice bibat. Et iterum: Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. Dignitas itaque sumentium in solo Christi merito ac passione consistit, qui ea credentes, dignos reddidit, aliâs in semetipsos indignissimos.*

Quis est fructus Coenæ Dominicæ?

1. Cor. 10. Ephes. 5. *Cõmunicatio corporis & sanguinis Christi, eiúsq; in nobis inhabitatio. Hinc sumus membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: Applicatio remissionis peccatorum, iuxta hæc Christi verba: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et quòd Christus in nobis habitans, efficax est in nobis,*

his fidem & alia dona spiritualia excitans, ac Spiritu sancto nos gubernat, vt semper magis magisq; vitæ nostræ rationes secundum voluntatem eius instituamus.

Ad quid est instituta Cœna Domini, & quis eius est finis?

1 Vt fidem in nobis confirmet. Sunt enim 2 Sacramenta, signa, & sigilla diuina erga nos clementiæ, verbo Dei addita, vt promissiones de gratuita peccatorum remissione, per Christum parta, confirment & obsignent, easq; singuli sibi in vero Sacramentorum vsu, per fidem applicent: Hic est finis principalis, & huius & aliorum Sacramentorum omnium, tam veteris, quàm noui Testamenti. Christus enim testatur, ad nos beneficia sua pertinere, cùm corpus, & sanguinem suum nobis communicat, & nos facit membra corporis sui.

Deinde, sunt & alij fines: 3 Gratiarum actio pro beneficijs à Christo nobis partis & collatis. Vnde & Eucharistia ab hoc fine dicitur.

4 Est & nota professionis, & doctrinæ. Nobiscum enim communicantes, significant, se nobiscum de doctrina consentire.

Com-

5 *Comma efficit nos de mutua dilectione. Quemadmodum enim ex multis granis, vnus panis, & ex multis acinis, vnum vinum conficitur: ita & communicantes omnes, in Christo fiunt vnum corpus.*

6 *Item, nervus est publici Ministerij.*

De indignorum manducatione.

Quid de hac sentis?

Respondeo. Indigni sunt, non qui infirmam habent fidem. Si enim vel infirmissimam habeant fidem, quæ cum proposito piè, rectéq; viuendi est coniuncta, digni sunt mysterij huius sacratissimi conuiuæ: nec à Christo repelluntur, sed ab ipso vocantur. Matth. 11. 9. Sani non opus habent medico, sed malè habentes. Veni vocare peccatores ad pœnitentiam. Sed indigni sunt incredituli, impœnitentes, hypocritæ, Epicurei, vera fide, proposito emendandi vitam & mores carentes, in externa societate veræ Ecclesiæ, eiusq; membris admixti.

Credo itaque & confiteor, tam ab his, quàm à verè pijs & credentibus verum cor-

pus

pus & sanguinem Christi in Cœna, quoad eius substantiam, sumi: sed ad iudicium, vt Paulus loquitur. Non enim fides sumentis facit Sacramentum: sed Christi institutio & ordinatio. Ita nec incredulitas accipientis, mutat naturam & substantiam Sacramenti, nec irritam reddit veritatem & fidem Dei. Sed sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Et ita sumentium incredulitas Sacramentorum substantia nihil derogat. Manet enim perpetuò vera promissio, & institutio Christi, qua dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: siue dans, siue accipiens credat, siue non credat.

Pugnantia.

Qui errores præcipui de substantia Cœnæ Dominicæ sunt vitandi:

Extrema sunt, localis vel corporalis, siue carnalis præsentia, ac manducatio Capernaitica.

Deinde, Transsubstantiatio Papistica solis accidentibus, siue speciebus, panis & vini, relictis, mutata substantia panis, in corpus: & vini, in sanguinem Christi.

Tertiò

Tertiò, panem, & vinum, nuda tantùm esse Symbola, quæ sint figura absentis in cœlo Christi corporis, quo tantùm absit à Cœna sua, quantum distat summum cœlum, ab infima terra. Vtpote, qui Physica locatione cœli spacium certum occupet, nec inde vsque ad extremum iudicij diem recedat. Ideoq; panem esse tantùm nudum signum, vel significare eius corpus, aut esse figuram corporis, vt Cingliani sentiunt.

Item alij Cinglianorum errores, quos de Cœna Domini fouent: verba Cœnæ non simpliciter, & secundum natiuam accipienda sententiam, de vera corporis Christi præsentia: sed Tropicè, Metaphoricè, Metonymicè, spiritualem tantùm statuere manducationem, quæ fide fiat. Corpus & sanguinem Christi per fidem accipi, qua ad cœlum conscendamus, & ibi sedentis corporis Christi fiamus participes. Illic esse certo cœli loco: fidem verò facere eum præsentem in Cœna.

Indignos non accipere in Cœna corpus & sanguinem Christi, sed tantùm inania Symbola, nempe panem & vinum Cœnæ. Christum secundum carnem nullam veram habere

here communicationem cum omnipotentia Dei, sed tantùm titulo & nomine tenus. Fidem facere præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna: & non vel institutionem diuinam, vel omnipotentiam Filij Dei, cum homine assumpto in vnitatem personæ vniti.

Qui sunt præcipui abusus, & prophanationes, pugnantes cum Cœna Dominica, apud Papistas:

Transformant Sacramentum Cœnæ Dominicæ in actionem toto genere diuersam, nempe in sacrificium verè propitiatorium pro viuis & defunctis: quo fingunt, se ipso oblationis opere, alijs mereri remissionem peccatorum, & animabus ex ficto purgatorio liberationem. Concil. Trident. Sess. 22. cap. 3.

Deinde, fingunt, fieri Metamorphosin, seu transsubstantiationem, qua panis & vini substantia, transmutentur in substantiam corporis, & sanguinis Christi, remanentibus, per miraculum tantùm accidentibus absque substantia.

Tertiò, circumgestant, vt in theatro, panem à se consecratum.

Quartò, includunt, & ad adorandum reponunt

ponunt in ædiculam. Cùm ad hoc Christus Cœnam suam non instituerit, sed manducari, & bibi voluerit corpus & sanguinem suum. De quibus teneatur regula: Nihil habet rationem Sacramenti, extra vsum diuinitus institutum.

Christus autem nec circumgestari, nec reponi, nec adorari Sacramentum voluit, sed manducari.

Quintò, mutilant Sacramentum sacrilegè, & alteram partem tantùm eius, Laicis administrant: contra manifestam Christi institutionem, Apostolorum, & Ecclesiæ totius, multorum seculorum vsum, dicente Christo: Bibite ex hoc OMNES.

Postremò, omnia ignota vulgo lingua demurmurant, vt nec exaudiri, nec intelligi possit actio ista Theatrica: Cùm Christus, Apostolo interprete, mortem suam in huius Sacramenti celebratione annunciari voluerit.

Cur Cœna Domini veteribus dicitur Sacrificium?

Non quòd in ea offerantur Deo corpus & sanguis Christi ad expianda peccata: sed quòd in ea publica fiat mentio, & memoria

sit

sit vnici illius veri propitiatorij Sacrificij, quod Christus semel in cruce pro nobis peregit. Sicut inquit: Hoc facite in mei commemorationem. Quod Apostolus interpretatur, annunciationem mortis Domini, & sic praeditationem, laudem, & gratiarum actionem: quae vera sunt sacrificia, iuxta illud: Sacrificium laudis honorificabit me.

Deinde, propter finem, quòd in illa simul De gratia agantur pro istis beneficijs, quae in Coena nobis exhibentur. Vnde & Eucharistia, id est, gratiarum actio dicitur: quae est Sacrificium laudis.

Item, quia simul afferebantur panes, & alia, quae inter pauperes, & Ministros quoque Ecclesiae distribuebantur. Et manifestum est, veteribus priuatas Missas omninò fuisse ignotas, quod ex historijs patet.

De Sacrificijs.

Quid significat sacrificare?

EX Etymo significat, sacra facere, rebus sacris vacare, & operam dare, offerre victimas, inuocare Deum, gratias illi agere, ceremonias sacras obseruare.

Quid est sacrificium?

Sacrificium est ceremonia, vel sacra actio aut opus aliquod nostrum, diuinitus institutum, quod nos Deo ex fide reddimus, vt ipsum honore, propriè diuinitati debito, afficiamus.

Quid interest inter Sacramentum, & sacrificium?

Sacramentum est ceremonia, vel sacra actio, diuinitus instituta, vt sit signum promissionis gratiæ, per quod Deus nobis aliquid promittit, & exhibet.

Sacrificium autem est opus nostrum, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus, hoc est, testemur, nos, hunc ipsum, cui hanc obedientiam præstamus, verè Deum agnoscere. Ideoq; nos ei hanc obedientiam præstari. Vel breuius: In Sacramentis accipimus aliquid à Deo: In Sacrificijs damus & exhibemus illi aliquid.

Quotuplicia sunt Sacrificia?

Duplicia: Typica, seu Leuitica, & vera. Leuitica, seu Typica, quæ à Deo per Mosen in Politia & Ecclesia gentis Israëliticæ fuêre

fuêre instituta, & ab Aharone, eiusq; successoribus oblata.

Vera iterum sunt duplicia. Propitiatoria, & Eucharistica. De singulis ordine dicendum.

Quid sunt Leuitica Sacrificia?

Oblationes secundum placentarum, frugũ, panum, vini, olei, thuris, thymiamatis, &c. à Deo per Mosen institutæ, & traditæ populo Israël, vt essent typi amici veri sacrificij propitiatorij, venturi Messiæ, qui futurus erat victima pro peccatis humani generis.

Quæ est causa efficiens horum Sacrificiorum?

Deus ipse, sicut præfatur passim Mose, quoties sacrificij aliquam speciem describit: Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere ad filios Israël, & dic ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino, &c.

Quæ fuit materia ex qua?

Pecudes, quæ secundum legem offerebantur: boues iuuenci, vaccæ, vituli, hirci, oues, agni, capræ, volucres, nempe turtures, pulli columbarum, passeres, fruges, farina, simi-

la, panes, placenta, vinum, oleum, thus, thymiama compositum, &c.

Quis fuit locus, in quo offerebantur?

Tabernaculum mandato Dei erectum. Postea templum Hierosolymitanũ. Extra quem locum sacrificantes adulterium spirituale, & sic à Deo divortium facere dicebantur. Item,
Ier. 2. *Idololatriæ crimen admittere. Hinc est, quod Propheta dicit: secundum numerum civitatum tuarum, Dij tui Iuda.*

Ad quid sunt instituta Sacrificia Levitica?

Multi fuêre fines, & vsus horum Sacrificiorum.

1. Principalis, vt essent typi amici & veri Sacrificij Christi, qui se obtulit victimam pro peccatis humani generis: & hoc modo Israëlita fidem suam confirmarent. Erant enim hæc sacrificiorum spectacula oculares quasi conciones, de futura Christi passione.
Ioan. 1. Isai. 53. *Vnde agnus Dei dicitur, qui tollit peccatum mundi.*

2. Vt hoc modo Israëlita gratitudinem
Deut. 26. *suam erga Deum propter accepta ab ipso beneficia, declararent.*

3. Ad

3. *Ad conseruationem sacerdotij. Leuita enim partem aliâs nullam, aut possessionem in terra Chanaan acceperant.*

4. *Vt essent nexus publicarum conuentuum, quibus conseruabatur cultus, & doctrina cœlestis in hoc populo à Deo tradita. Quibus etiam à reliquis omnibus populis terra discernebantur: Et sic notæ erant publicæ professionis.*

5. *Media erant, quibus polluti, aut quauis de causa immundi, puerpera, leprosi, qui mortuum tetigerant, louiticè mundabantur, & in cœtum recipiebantur.* Hcb. 10.

6. *Typi erant verorum, & internorum cultuum. Vmbram Lex habens futurorum bonorum. Roman. 12. Offerte corpora vestra hostiam spiritualem, rationalem cultum, &c.* Hcb. 9.

Quid sunt, & fuerunt expiatoria Sacrificia veteris Testamenti.

Fuerunt certa quædam sacrificiorum species in politia Israëlitica, vt holocaustum pro peccato, pro delicto. Hircus in festo expiationis, per quæ propitiari dicebantur rei Deo, expiatis peccatis.

An non igitur per illa verè homines Deo reconciliabantur?

Sapè inquit Moses: Expiabit sacerdos hominem coram Deo à peccatis suis, & dimittetur ei peccatum. Quomodo igitur Sacrificia Leuitica expiauerunt peccata, per sése, & ex opere operato, propter dignitatem, & meritum sacrificij huius? Respondeo: Typicè, quatenus adumbrauerunt vnicum verè propitiatorium Christi sacrificium, cuius fuêre illa typi & adumbrationes. Cumq; accederet fides in offerente, siue (vt loquuntur) explicita, quemadmodum in Prophetis, & Sanctis, qui maiori luce Spiritus sancti erant illustrati: siue implicita, hoc est, generalis fides in venturum Messiam, & verbum Dei, ex cuius obedientia, propter institutionem & mandatum Dei, offerebant è vulgo, tum veram ex oblationibus illis, & sacrificijs coram Deo remissionem consequebantur, & à peccatis expiabantur.

Quæ sunt contraria?

Idolis consecrata & oblata, quæ Spiritus S. pronunciat Dæmonijs immolari, & non Deo. Psal. 95. 105. Immolauerunt filios suos, & filias suas Dæmonijs.

Offer-

Offerre opinione meriti ex opere operato, sicut hypocritæ omnibus temporibus faciunt. Cain, Saul, Iudæi, Isa. 1. Ier. 7. Ose. 6. Mich. 6. Quid dignum offeram? &c.

Alio & diuerso loco offerre, quàm mandauerat: vt in excelsis, sub omni arbore frõdosa, in lucis, vallibus, in omnibus angulis & ciuitatibus. Ierem. 2. vt suprà. Oblationes ex rapinis. Isa. 61.

Sacrificium Missæ, in quo panem & vinũ à se consecratum Sacrificuli Pontificij offerunt, & verè propitiatorium sacrificium esse pronunciant.

Quid est verè propitiatorium Sacrificium?

Est opus, quod meretur alijs remissionem culpæ & pœnæ aternæ. Seu opus reconcilians Deum, & placans iram Dei, pro alijs, & satisfactorium pro culpa & pœna aterna.

Quot sunt talia propitiatoria Sacrificia?

Vnicum, nempe passio & mors Christi, qui est Agnus Dei, tollens peccata Mundi. Sanguis Filij Dei emundat nos ab omni peccato. Ioan. 1. 1. Ioan. 1. *Et cap. sequenti: Ipse est propitiatio, non pro nostris tantùm, sed totius mundi peccatis.*

Heb. 10. *Hac vnica oblatione consummauit in eternum eos, qui sanctificantur. Hac sacrificium propitiatorium nobis offertur, & applicatur publicè verbi Ministerio, & Sacramentorum vsu. Singuli verò accipiunt, sibiq; vera fide applicant, qua pro se Christi oblatum sacrificium semel in cruce, eoq; peccata sua verè expiata, firmiter statuunt.*

Quid est Eucharisticum Sacrificium?

Est cultus vel opus à Deo mandatum, quod fit in fide à reconciliatis, non vt eo mereantur remissionem peccatorum, sibi vel alijs: Sed vt pro acceptis beneficijs DEO agamus gratias, seu gratiam referamus hac nostra obedientia: quò Deus honore afficiatur.

Quænam illa sunt Eucharistica Sacrificia?

In lege Mosaica, & veteri Testamento erant sacrificia retributionum, pacifica dicta, vel gratiarum actionis. Et erant oblationes, libamina, primitiæ, decimæ, sacrificia laudis & similia.

1. Pet. 2. *In nouo Testamento, cùm simus sacerdotium regale & sanctum, vt offeramus hostias spirituales, sacrificia sunt laudis, & cultus spirituales, predicatio verbi Dei, fides, inuocatio,*

tatio gratiarum actio. Confessio, patientia in cruce, offerre corpora, quæ sunt hostia viuens, sancta, rationalis cultus, & omnia opera Sanctorum. Rom. 12.

Merentur ne hæc Sacrificia Eucharisti, ea remissionem peccatorum?

Nec facienti, nec aliis merentur remissionem peccatorum, nec pro aliis applicari possunt, aut satisfacere. Hoc enim solius Christi, propitiatorij sacrificij, proprium est. Sed propter alias causas facienda sunt, & præstanda hæc Eucharistica sacrificia: de quibus suprà dictum est, in loco de bonis operibus.

sunt ne abrogata sacrificia veteris Testamenti?

Sacrificia ista Leuitica Typi fuêre vnici sacrificij propitiatorij, quo Christus seipsum obtulit sacrificium, & victimam pro peccatis totius humani generis: qua vnica oblatione consummauit in æternum sanctificandos. Heb. 9.

Hoc adueniente corpore vmbræ istæ legales cæremoniarum, euanuerunt. Heb. 10.

De Veteri & Nouo Testamento, ac discrimine inter vtrunque.

Quid est Testamentum in sacra Scriptura?

EST fœdus, seu pactum, quod Deus cum suo populo iniit, in quo bona, siue corporalia, siue spiritualia, à se promissa, certis ritibus & ceremonijs illis confirmauit.

Aliâs etiam proscriptis Mosis & Prophetarum accipitur vocabulum Testamenti, 1. Cor. 3. Nam vsq; in hodiernum diem idem velamen in lectione Veteris Testamenti manet: id est, in lectione librorum Mosis & Prophetarum Iudæi cæcutiunt.

Quot sunt Testamenta Dei in sacra Scriptura?

Duo: Vetus & Nouum.

Quid est Vetus Testamentum?

Est pactum, quo populus Israel ad Legem Dei seruandam, & hanc formam Politiæ, quam per Mosen instituit, obligatus fuit: ad hunc finem principalem, vt in hoc popu-

populo, terra & Politia conseruaretur, & propagaretur promissio de venturo Messia: propter quam etiam in hoc populo vera erat Electorum Ecclesia.

Vel breuius: Fuit constitutio Politiæ Mosaicæ, promulgatis istis Legibus Dei, quas tulit Israelitis de Decalogo, de Sacris, sacrificijs pecudum, earum sanguine, ceremonijs.

Quomodo est confirmatum?

Mactatione pecudum, & aspersione sanguinis eorum. Heb. 9. Vnde nec primum quidem (Testamentum) sine sanguine dedicatum fuit. Lecto enim omni mandato Legis à Mose vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoq; librum, & populum aspersit, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quod ad vos mandauit Deus.

Quas habuit promissiones, & bonas?

Deus recipiendo illos in fœdus, se vicissim eis obligauit, quòd ipsorum velit esse Deus, eis benefacere, daturus possessionem terræ Canaan, in illaq; ipsos defensurus. Et simul inclu-

includebatur promissio vitæ æternæ: sed annexa conditione, seruatæ Legis. Iuxta illud: Qui fecerit hæc homo, viuet in eis, &c.

Num homines obseruatione huius conscij sunt vitam æternam?

Minimè. Quare? Quia nemo illorum, Legem Dei, præsertim Moralem, perfectè obseruauit: Vnde dicitur Lex onus & iugum, quod neq; Patres, neq; Iudæi vnquam portare potuerunt. Et iterum: quòd fuerit infirmum & inutile, ad iustificationem scilicet: quòd infirmetur per carnem, ideoq; impossibile, vt per Legem quis iustificetur.

Act. 15.

Heb. 7.

Rom. 8.

Est ne abrogatum vetus Testamentum?

Ita. Quare? Quia cæremoniæ (vt dictum est) omnes typi fuêre venturi Christi. Et Leges Forenses populo Israelitico tantùm sunt latæ. Nec Politia ista amplius, quàm ad Messiæ aduentum duratura erat. Ideo illo exhibito, omnia cum Regno, Politia & populo sunt abrogata: Velum Templi scissum est: Sacra ista tanquam vmbra euanuerunt: adueniente corpore, locus ipse est vastatus: populus abiectus & dissipatus.

Quid

Quid est nouum Testamentum?

Est pactum de remissione peccatorum gratuita: iustitia imputata, & donatione vitæ æternæ: deleto peccato & morte, per & propter Christum Mediatorem, omnibus in eum credentibus.

Vel, est Euangelium, ac promissio Spiritus sancti, & vitæ æternæ: Imò potius donatio gratiæ, & remissionis peccatorum, in & per sanguinem Christi.

In quo consistit?

In diuulgatione, & prædicatione Euangelij de incarnato filio Dei, exhibito Messia.

Quis est author huius?

Deus ipse. Quando instituit? Æditâ prima promissione Euangelij de venturo Messia, in Paradiso, statim post lapsum primorum parentum, Mediatore filio Dei. Heb. 2,

Postea verò ad certam familiam, nempe Abrahæ, al- Gen. 17.

ligatum est hoc Testamentum cum suis pro- Rom. 4.

missionibus, Messiæ, & beneficijs eius, sigillo circumcisionis appenso: exhibito verò Christo, duo alia sigilla appensa sunt, Baptismus, & sacra Domini Cœna: quibus promissio gratiæ est obsignata.

Circa

Circa quid versatur?

Heb. 9. *Circa prædicationem Euangelij, & omnem promissionum illius annunciationem.*

Quomodo est confirmatum?

Sanguine & morte Christi, filij Dei, Testatoris. Vbi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis ratum est: alioqui nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Vnde ipse inquit: Hic calix Noui Testamenti est, in meo sanguine.

Ibid.

Cur opus fuit Nouo Testamento?

Quia nemo præstare poterat ea, quæ Deus in Veteri Testamento requirebat: ideoq; omnibus perpetuò pereundum fuisset. Quare Nouo opus erat Testamento per Christum, qui nos Deo Patri cœlesti, sua obedientia vsq; ad mortem præstita, reconciliauit, impetrata vita æterna, quam gratis donat omnibus in se credentibus.

Quæ sunt eius beneficia?

Omnia, quæ Christus nobis sua passione & morte peperit, remissio nempe peccatorum, iustitia imputata, lux & vera Dei agnitio,

agnitio, abolitio peccati & mortis, noua denique & æterna iustitia & vita.

Quid differunt?

Primùm, hoc ferè interest inter Vetus & Nouum Testamentum, quod inter Legem & Euangelium. Vetus enim Testamentum est pactum Legis: Nouum verò Euangelij, promissio, seu potius Christi, beneficiorumq; eius exhibitio.

Secundò, & in hoc differunt, quòd omnia in Veteri Testamento typica fuêre, & adumbrationes venturi Messiæ: ideoq; non tam illustris ipsius cognitio. In Nouo verò, corpus ipsum, Christus scilicet, & res ipsa, nempe vera, spiritualia & æterna bona exhibentur. Atq; ita in Veteri est promissus Messias: in nouo exhibitus annunciatur. Hebr. 10.

Tertiò, in hoc quoq; differunt, quòd Veteris Testamenti promissiones fuerunt conditionales, habentes annexam conditionem, seruandæ totius Legis: sicut illis additur: Si in mandatis meis ambulaueritis, & præcepta mea custodieritis, &c. Noui verò Testamenti promissiones, gratuitæ sunt & vniuersales: & ad omnes credentes pertinent, solam fidem requirentes. Qui crediderit & baptizatus

Ioan. 3. zatus fuerit, saluus erit. Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.

Præterea, & quartò, differunt & in hoc, quòd vetus Testamentum cum Abrahamo initum, eiusq; posteritate est initum. Genes. 15. Exod. 24. Ier. 31.

Nouum verò ad omnes Gentes pertinet, quas Deus luce Euangelij dignatus est, quiq; illud fide vera amplectuntur. Marc. vlt. Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

In quo conueniunt?

Nouum in Veteri latebat, vt in Ceremonijs, Sacrificijs, Sacerdotio, &c. quæ fuêre typi & vmbra venturi Christi. Vetus autem in Nouo declaratur.

In Veteri fuit promissio Noui: in Nouo exhibitio eorum, quæ in Veteri sunt promissa, Christus scilicet Dominus, filius Dei incarnatus, cum suo Sacerdotio, Regno & beneficijs.

DE

De Ecclesia.

De Etymo vocabuli.

Ecclesia, Græcum est vocabulum, ab ἐκκαλέω, quod significat, euocare. Hinc ἐκκλησία, Ecclesia. Concionem seu cœtum populi conuocatum, aut collectam hominum congregationem: Ein beruffte vnnd versamlete Gemein. Germanicum, quo utimur, Kirch/ similiter Græcum est, κυριακὴ Kirch/ id est, cœtus populi Domini. Transfertur etiam ad locum, in quo conuenitur.

Nobis uerò eam hominum congregationem significat, quam Deus pro suo populo in terris agnoscit.

Appellationes plurimæ in sacris literis occurrunt. Dicitur populus Domini, primogenitus Dei Filius, Israël, peculium & hæreditas Dei, mons Domini, ciuitas Dei, habitaculum eius, sanctuarium, vinea Domini, populus sanctus, domus Domini, Regina, filia Regis, oues pascuæ eius, Regnum cœlorum, ouile Christi, Ecclesia Christi, Matth. 16. & alibi.

Est'ne Ecclesia aliqua Dei certa in terris?

Esse aliquem certum & peculiarem Dei populum, qui illi singulariter cura sit, quem in hac vita exaudiat, & post hanc, aeterna donet felicitate & beatitudine, sacra testantur literæ.

Proba hoc.

Testatur id continua series & successio Patriarcharum, ante & post diluuium. Genes. cap. 5. & 11. descripta. Similiter, vocatio Abrahæ, quem Deus fœdere inito recepit, cũ semine, hoc est, posteritate eius, in suum populum. Postea populum Israëliticum himnatum, suum vocat peculium, & filium primogenitum, quem elegerit è cunctis populis terræ: seq; huius populi Deum profitetur.

Exod. 3. 4. 5. 6. 7. 10.

Quid est Ecclesia?

Est coetus amplectentium verbum Dei & recte attentium Sacramentis, in quo Deus per Ministerium verbi, est efficax, & multos ad vitam æternam regenerat: cui tamen multi sunt admixti non renati, sed de vera doctrina consentientes.

Quot

Quot sunt Ecclesiæ Dei?

Credo unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, iuxta illud Pauli: Vnum Ephes. 4.
corpus. Et Symbola Apostolorum, & Nicænum. Propter locorum verò diuersitatem, quibus est dispersa, plures particulares dicuntur esse Ecclesiæ, quæ tamen omnes, fidei vnitate congregatæ, vna dicuntur vniuersalis Ecclesia. Sed alia quoq; est non Dei, verùm Diaboli Ecclesia. Hinc fit, vt duplex constituatur Ecclesia: Vera, siue Dei: & falsa, hypocritica, malignantium, quæ est Satanæ Ecclesia. Vel, ouium & hircorum. Matth. 25. Psal. 26. Odiui Ecclesiam malignantium.

Est ne vera Dei Ecclesia visibilis, an inuisibilis?

Verum q. Est visibilis & inuisibilis, diuerso respectu. Visibilem esse probatur per illud Christi: Dic Ecclesiæ: Inuisibilem esse, articulus Symboli testatur: Credo sanctam Ecclesiam, si opus est fide, qua hoc credimus: Ergo non videmus. Fides est inuisibilium.

Et ita aliquando Ecclesia sumitur pro cœ- Heb. 11.
tu vocatorum, quæ est visibilis. Aliquando

pro Electis tantùm: quo modo est inuisibilis. Sicut habet articulus Symboli: videlicet E-

2. Tim. 2. *lectorum. Nouit enim Dominus, qui sint eius.*

Quod est fundamentum Ecclesiæ?

Non est Petrus Apostolus. Hoc enim nimis fuisset infirmum, & mox cum ipso tota Ecclesia fuisset lapsa. Sed Christus ipse, qui est lapis fundamentalis & angularis. Isai. 28. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod est positum, quod est Christus Iesus. 1. Cor. 3.

Apostoli non sunt fundamentum Ecclesiæ, sed sua doctrina de Christo, fundamentum iecerunt. Et hoc est, quod Paulus inquit: Ædi-

Ephes. 2. *ficati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum: id est, super doctrinam eorum, qua fundamentum posuerunt Iesum Christum: præter quod, nemo potest ponere aliud: vt iam est dictum & probatum.*

Quod est caput Ecclesiæ?

Christus. Eph. 1. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Quod

Quotuplex est vera Ecclesia?

Vulgò diuiditur in militantem & triumphantem. Sed reuera una est Ecclesia, eadem dona habens & beneficia Dei: licet alia ratio & conditio vtriusque, & status sit diuersus adhuc.

Militans enim vtitur adhuc, regitur & gubernatur, verbi & Sacramentorum Ministerio: & bona illa in spe possidet per fidem.

Triumphans verò non amplius indiget Ministerio verbi: & Christi beneficijs in re, læta iam, eiusq; conspectu, extra omnem teli iactum, perfuncta suis laboribus, fruitur.

Quæ sunt notæ veræ Ecclesiæ?

Verbum Dei syncerum, & purus ac legitimus Sacramentorum vsus, atq; obedientia in his, quæ sunt Ministerij propria.

Proba hoc?

Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Oues meæ vocem meam audiunt. Ioan. 8. 10.
Ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: baptizate eos in nomine Patris, Matth. 28.
& Filij, & Spiritus sancti: Qui crediderit, & Marc. 16.
Gal. 1.

baptizatus fuerit, saluus erit. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.

Instrumentalis causa.

Ministerium verbi & Sacramentorum, per quæ Deus sibi colligit Ecclesiam, aliàs per totũ terrarum orbem dispersam. Quos enim prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit, &c.

Ad quid est Ecclesia alligata?

Non ad certa loca, tempora, personas, successionem ordinariam, aut similia. Hæc enim omnia sunt fallacia & carnalia, quæ apud impios tam esse possunt, quàm apud pios, & veram Dei Ecclesiam: sed ad verbum Dei
Isa.8. *est alligata, iuxta illud: Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem, pro viuis ne ad mortuos? Ad Legem magis & ad testimonium. Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et: Oues mea*
Ioan.10. *vocem meam audiunt: alienum autem non*
Gal.5. *sequuntur, sed fugiunt ab eo. Et Paulus: Sed licet & nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.*

Ædi-

Ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, ipso angulari lapide, Christo Iesu. Ephes. 2.

Quæ est Ecclesiæ authoritas?

Magna: non tamen infinita, immensa, aut absoluta, sed limitata. Primùm testificatur de libris Canonicis Prophetarum & Apostolorum, quod horum sint authorum, quorum nominibus sunt inscripti: quodq; ab illis bona fide acceperit.

Secundò sua fideli opera cura, diligentia & studio hos libros per manuum traditionẽ, & successionem continuam conseruauit. Et sic custos est simul, & testis doctrinæ cœlestis, quam ad nos vsq; propagauit.

Tertio, potestas iudicandi de omnibus dogmatibus secundum Scripturam sacram. Est enim sponsa Christi, vocem sponsi audiens, eamq; sequens: vnde certò potest iudicare. Ideò audienda est Ecclesia Dei vera, vt doctrix & interpres sacræ Scripturæ, quæ nos ad Christum ipsum, tanquam sponsum, adducit, & vocem sponsi audire præcipit. Atq; ita limitata & circumscripta est Ecclesiæ authoritas, verbo Dei.

Vnitas Ecclesiæ in quo consistit?

Ecclesiæ vnitas consistit in syncera doctrina verbi Dei consensu, & fidei vnitate, ijsdem Sacramentis, omniumq; bonorum spiritualium atque cœlestium communione, sub vno capite, quod est Christus, per eius vnum & idem Euangelium & ministerium, cui debetur obedientia: iuxta illud: Qui vos audit, me audit, Sicut Christus orat: Pater, sanctifica eos in veritate: sermo tuus est veritas, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi IN NOBIS VNVM SINT.

Potest ne errare Ecclesia?

Ecclesia manet fundamentum veritatis, etiamsi errant, qui videntur columnæ Ecclesiæ. Vt tempore aduentus Christi in carnem, errabant Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Principes Sacerdotum: adeoq; Christum ipsum, Dei Filium, tanquam blasphemum, damnant ad mortem: Interim tamen vera Dei Ecclesia sub illis mansit: manserunt & qui rectè de Deo, verboq; ipsius sentirent. Nec vniuersaliter tota, aut omnia ac

singu-

singula eius membra errant. Semper enim aliqui per Spiritum sanctum reseruantur, qui sinceri in doctrina & fide permanent, retinentes fundamentum: sicut Simeon, Zacharias, Anna, tempore Natiuitatis Christi. Hos Deus nouit, qui scrutatur corda & renes, & nouit, qui sunt eius, 2. Tim. 2.

Fuit ne, & manſit Eccleſia Dei vera ſuperioribus temporibus, durante regno Pontificio Antichriſtiano?

Manſit Eccleſia. Aliâs non ſediſſet Antichriſtus in Templo Dei. Et negandus eſſet articulus Symboli: Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam. Quod abſit. Seruat enim Deus ſibi ſemper cœtum aliquem, ipſum agnoſcentium & colentium, qui ſunt hæredes vitæ æternæ, etiam corruptiſſimo publicæ Eccleſiæ ſtatu, cùm non apparent oculis piorum quoq;. Sicut Helias putat, & conqueritur, ſe ſolum derelictum.

Num mali quoque admixti ſunt bonis in Eccleſia?

Cùm loquimur de externo & viſibili cœtu Eccleſiæ in hoc mundo: certum eſt, multos malos, pijs & bonis admixtos: & tamen

de doctrina consentientes, qui vel hypocritæ sunt, vel aliâs mali. Hi adhærent Ecclesiæ veræ, quemadmodum lutum rotæ, & vlcera in corpore: sunt pestes & carcinomata Ecclesiæ.

Matth. 13. *Hoc Christus multis parabolis docet, reti Ecclesiam conferens, quod concludat bonos & malos pisces. Similiter & agricolæ, bonum serenti semen in agrum, cui inimicus superseminauit zizania in medio tritici.*

Quis iudex est in Ecclesia?

Filius ipse Dei: qui à Deo Patre constitutus est iudex viuorum & mortuorum: cui Pater omne dedit iudicium, propterea quòd filius est hominis.

Vox autem Iudicis, est sacra Scriptura, in qua omnes controuersiæ, antequam nascantur, diiudicatæ sunt: vt non sit opus, nouis orientibus controuersijs, vel hæresibus, nouo Dei verbo.

Quæ sunt prærogatiuæ, promissiones, & bona Ecclesiæ?

Verbum Dei sincerum, Sacramenta diuinitus instituta. Vnde & columna veritatis dicitur, propter verbi ministerium, quo veritatem conseruat: Donum interpretationis

tionis Scripturæ, quæ analoga sit fidei. Rom. 12. Vera Dei notitia: Remissio peccatorum. Matth. 18. Amen dico vobis, quæcunque solueritis super terram, soluta sunt in cœlis: Sanctificatio: Dona Spiritus sancti: Præsentia Dei, in Ecclesia, tanquam suo templo, habitantis, eamq; defendentis: Gubernatio diuina: Exauditio precum: Liberatio ex omnibus malis: Ipsa denique vita æterna.

De clauibus Ecclesiæ vel regni cœlorum.

Vnde dictæ sunt claues?

Metaphoricè sic dicuntur. Quemadmodum enim aliâs ingressurus domus clausam, si ordinariè velit ingredi, necesse est, vt vel ipse, vel alius, ei, claue ianuam clausam aperiat: Ita Regnum cœlorum, eiusq; ostium, omnibus hominibus clausum est propter peccatum. Quare, vt ingredi possimus, opus est clauibus, quibus reseretur.

Quæ & quid sunt istæ claues?

Ministerium, seu prædicatio Euangelii

sis

Iesu Christo, quo annunciatur gratuita peccatorum remissio, per & propter Christum, omnibus in eum credentibus: Incredulis verò damnatio eterna.

A quo sunt instituræ?

A Christo ipso. Vbi? Matth. 16. promisit se daturum. Ioan. 20. exhibuisse legitur.

Quotuplices sunt claues?

Vnum quidem est verbi Dei ministerium, quo peccata soluuntur & ligantur: sed propter diuersa obiecta, duplices esse dicuntur, soluens, & ligans.

Quid est clauis soluens?

Est pars ministerij Ecclesiastici, qua verè resipiscentibus annunciatur remissio peccatorum omnium, nomine, hoc est, merito Christi. Vel breuius vno verbo: Est absolutio.

Quid est Absolutio?

Non est murmur illud & strepitus verborum Sacrificuli: Ego te absoluo, &c. sed est predicatio & annunciatio Euangelij, quòd Deus per & propter Christum gratis remittat & condonet peccata verè credentibus in eum.

Quo-

Quotuplex est hæc?

Duplex: Priuata & Publica.

Quid est Priuata?

Qua vni soli priuatim credenti annunciatur peccatorum remissio. Sicut Christus Matth. 9. dicit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Luc. 7. Similiter peccatrici dicit Christus: Remittuntur tibi peccata. Item: Fides tua saluam te fecit.

Quid est Publica?

Qua in genere, omnibus resipiscentibus annunciatur Euangelium de Christo, quo de misericordia Dei erga se, & peccatorum remissione, certiores redduntur: sicut verba institutionis clauium habent. Matt. 16. Ioan. 20 Quorum remiseritis peccata, remittuntur. Cuius rei exemplum extat. Actor. 2. Vbi Petrus ingentem auditorum multitudinem absoluit in die Pentecostes, & prima publica Euangelij prædicatione de Christo, eiusq; beneficijs & meritis.

Qua verborum forma vtendum in Absolutione?

Nullam certam formulam Christus præscripsit: nec Apostolos vsos esse legitur: Omnis enim Euangelij annunciatio, est absolutio:

tio: sed tamen reprehendendum non est, si solenni aliqua & vsitata vtantur Ministri forma in absolutione, qua meriti & passionis Christi fiat mentio, repetito mandato eius, ac promissione addita.

Qui sunt absoluendi?

Agnoscentes peccata, & dolentes propter admissa, in Christum credentes, atque emendationem promittentes.

Quis est effectus absolutionis?

Remissio peccatorum, dicente Christo: Quicquid solueris super terrãm, erit solutum & in cœlis. Non enim secus ista sunt accipienda, quàm si Christus cœlitùs delata voce ipsemet absolueret.

Potest ne homo peccata remittere, cum hoc solius Dei esse videatur?

Solus Deus potest peccata remittere SVA AVTORITATE. Sicut in hanc sententiam rectè dicunt Pharisæi: Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? sed tamen dedit hominibus potestatem talem, vt & ipsi SVO MINISTERIO remittant peccata Dei loco: Christo teste: Quorum remiseritis peccata, remittuntur. In quam sen-

Marc. 2.

Matth. 16.

Ioan. 20.

sententiam & Paulus, Timotheo suo præscribens formam ministerij, addit, 1. Tim. 4. Hoc faciens, teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt, suo scilicet Ministerio.

Quoties homines absoluendi?

Non semel tantùm, atq; iterum, sed quoties veniam peccatorum pœnitentes petunt. Non dico tibi septies, dicit Christus Petro, sed septuagies septies. Item, Septies cadit iustus, & resurget. Matt. 18. Prou. 24.

Sunt ne lapsi post Baptismum recipiendi?

Maximè. Dominus enim iuramento confirmat, se non delectari peccatorum interitu & damnatione. Ezech. 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Ideo verbi ministerium instituit, vt vocaret peccatores ad pœnitentiam, & lapsos postea reciperet. Sicut Saluator ipse tribus pulcherrimis Luc. 15. Parabolis docet.

Sic Petrum horribiliter lapsum Christus recepit, & Ecclesiæ suæ pastorem præfecit, vt suo exemplo, lapsos consolaretur peccatores. Luc. 22. Et tu aliquando conuersus, confir-

ma

ma fratres tuos. Sic Ecclesiam Galatarum
1.Cor.2. *lapsam, Paulus recepit. Sic idem Corinthium incestuosum.*

Quid est clauis ligans?

Potestas retinendi peccata, manifestis sceleribus obnoxijs, impœnitentibus, eosq; excommunicandi & arcendi ab vsu Sacramentorum, & Satanæ tradendi, donec resipiscant.

Proba hoc.

Matth. 16. *Christus inquit: Quicquid ligaueris super*
Ioan.20. *terram, erit ligatum & in cœlis: Item: quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Iu-*
1.Cor 5. *dicaui huiusmodi Satanæ tradere, in interitum carnis. Auferte malum ex vobis ipsis.*

Pugnantia.

Quòd falsa, hypocritica Ecclesia, ligat & excommunicat vere pios. Quemadmodum Christus & omnes eum confitentes, extra Synagogam, decreto Pontificum & Sacerdotum, fiebant.

Cuius sunt claues istæ?

Non vni aut soli Petro, eiusue successori sunt datæ, nec ad illum solum pertinent. Sed datæ sunt omnibus ex æquo Apostolis, quibus

Chri-

Christus dicit: ACCIPITE Spiritum sanctum, quorum REMISERITIS peccata, remittuntur, &c. Non dicit: Petre, tu accipe, sed, accipite. Nec dicit: Quorum, tu Petre, remiseris peccata, sed quorum remiseritis. Matth. 18. Ioan. 20.

Nec solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ, quæ est mater familiâs in domo Dei, quam tum Apostoli repræsentabant, dedit Christus claues. Sicut inquit Saluator: Dic Ecclesiæ.

Quid interest inter potestatem Ecclesiasticam & Politicam?

Ecclesiastica potestas versatur circa 1. Ministerium verbi, 2. Sacramentorum administrationem, atque ita circa 3. res merè spirituales & æternas, & non nisi verbo Dei, regit hominum mentes, absque vlla vi corporali.

Politica autem potestas, versatur circa temporalia bona huius mundi, & vtitur gladio, quo rebelles & inobedientes cohercet vi corporali. Sicut Christus Luc. 22. distinguit, inquiens: Reges gentium dominantur, vos autem non sic, sed qui maior est vestrûm fiat sicut minor, & qui princeps est, sicut qui ministrat.

De miraculis.

Vnde dicitur miraculum?

A B admiratione, quòd homines, inusitati isti euentus, in sui admirationem rapiant.

Dicuntur & signa, quæ confirmandæ alterius rei gratia dantur, antequã fiant. Deu. 13. Si surrexerit in medio tui Prophetes, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, &c.

Item ostenta, ab ostendendo: sicut monstra à monstrando, vel monendo, quòd futuros & secuturos euentus ostendant, monstrent, de ijsq; moneant, antequam accidant.

Prodigia, quasi prædicta, vel, quod diuinitus pro agantur futuris & consecuturis reb.

Portenta, quasi quæ porrò sunt, intendent.

Item magnalia, terribilia, mirabilia.

Esse Dei opera, talia opera.

Sacra historia passim de illis testatur, quibus est referta, & experientia loquitur.

Quid sunt miracula?

Sunt opera, vel actiones Dei, præter & supra naturæ ordinem cursum, viam, ac rationem

nem vsitatam, à Deo institutam: ad declarãdam maiorem potentiam et potestatem, quàm sit humana, iuxta omnipotentiam & sapientiam, in confirmationem doctrinæ cœlestis, & conservandum, vel perdendum homines, ac similes causas.

Quotuplicia sunt miracula?

Duplicia: Diuina, quæ à Deo: & Diabolica, quæ à Diabolis proficiscuntur.

Quæ est causa efficiens?

Diuinorum causa est Deus, qui propriè solus mirabilia facere dicitur. Et Psalm. 136. Confitemini Domino, qui facit mirabilia magna solus. Psal. 27.

Quot modis Deus mirabilia facit?

Duobus. 1. Immediatè, cùm nullius vtitur creaturæ opera: quale est opus admiratione dignissimum, creatio cœli, terræ, & omnium, quæ in eis sunt. Dixit Deus: fiat lux. Congregentur aquæ in vnum locum, fiat firmamentum. Faciamus hominem, &c. Et factum est ita. Gen. 1.

2. Mediatè, hoc est, fiunt per media, organa & instrumenta, creaturas scilicet, ad hoc ab ipso excitatas & institutas, quarum

opera vtitur, Angelorum, hominum, & inanimatorum.

Quæ sunt proprietates miraculorum?

1. Quòd non congruunt ad vsitatum naturæ ordinem, vt quòd Sol stat per integrum diem: Item, fit retrogradus decem lineis, quòd aquæ maris rubri, & Iordanis in altum assurgunt.

2. Quòd diuina congruunt ad Dei verbum, quæ norma est & regula, ad quam omnia sunt examinanda. Cùm hoc enim supponent, Diabolica & falsa esse sunt iudicanda, Deut. 13.

Qui sunt fines & effectus miraculorum?

1. Testari de Deo, eius omnipotentia, sapientia, bonitate, ac iustitia. Exod. 7. 8. 9. Ideo multiplicari miracula in Ægypto stantur, & Deus ipse, & Moses, vt Ægyptij & alij audientes, cognoscant, Deum Hebræorum, solum esse Dominum, vt verũ Deum, & vt narretur nomen eius in vniuersa terra. Dan. 2. Verè Deus vester, Deus Deorũ est, & Dominus Regum, non est enim alius Deus, qui possit ita saluare. Hac miraculis diuinis edoctus Nabuchodonosor confessus est.

2. De

2. *De promisso & exhibito Messia, eius persona & officio.* *Quia omnia, quæcunque de ipso prædixerunt Prophetæ, in eo, & per ipsum sunt impleta, euenerunt, & facta sunt, sicut hinc discipulis Baptistæ, ipse probat, se esse promissum Messiam.* Matth. 11. Isa 35.

3. *Excitantur miraculis homines, sicut aliâs pulsu campanæ fieri consueuit, vt audiant & cognoscant doctrinam cœlestem, quam simul illa confirmant, & tanquam sigilla literas muniunt, ac roborant. Illi autem (Apostoli) egressi, prædicauerunt vbiq;, Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante, subsequentibus signis.* Mar. vlt.

4. *Inuitant homines ad credendum verbo Dei, cuius sunt testimonia, eiusq; certitudinem confirmant. Ideo Deus initiò doctrinæ Apostolorum addidit miracula, quibus doctrina illorum confirmaretur. Marci vltimo.*

Quæ cognata?

Sunt interna & spiritualia miracula, quæ quotidie etiamnum hodie fiunt in Ecclesia, vbi mortui in peccatis, excitantur, in bonis operibus languentes, eriguntur, in Diaboli potestate existentes, liberantur, &c. de quibus

bus Gregorius Magnus 29. homil. super verba Marci Euangelistæ vlt. sancta quippe Ecclesia, quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos faciebat corporaliter.

Cur Euangelici non faciunt miracula? 1

Non est necesse. Quia non nouum doctrinæ genus afferunt, sed quod antea Prophetarum Christi, & Apostolorum miraculis est confirmatum. 2 quibus, qui non credunt, nec si quotidie innumera ederentur, crediturierãt. Sicut nec Scribæ, Pharisæi, nec Pontifices, tempore Christi & Apostolorum, cùm subinde & quotidie stupenda ab eis fierent miracula, mouebantur, vt Euangelium amplecterentur.

Et 3 Antichristi nota est, edere miracula. 2. Thess. 2. Noluit autem Deus opponere miracula miraculis: sed vt ibidem habetur, spiritu oris sui, ipsum occidere: id est, verbo suo detegere ipsum, eiusq; errores refutare, & sic gladio spiritus, quod est verbum Dei, ipsum in piorum cordibus occidere, ne amplius eum pro Christi, sed Satanæ vicario, & Antichristo agnoscant & habeant.

Quæ sunt contraria diuinis miraculis?

Diabolica, falsa, vel mendacia.

Qua

Quæ sunt miracula falsa vel mendacia?

Sunt opera, arte & industria Satanæ, vel ipsius instrumentorum facta, vel fieri visa, ad confirmandam impiam doctrinam, superstitionem, & cultus verbo Dei aduersantes, seducendum homines, vel in errore tetinendos.

Fiunt ne reuera?

Partim verè fiunt, partim verò non verè fiunt, sed fieri tantùm videntur, & sunt præstigiæ ac delusiones Satanæ: vel etiam confinguntur, aut fallacia humana fiunt, sicut iam ex 2. Thess. 2. dictum est.

Quomodo diuina à Diabolicis gentium discerni possunt?

1. *Authore differunt. Ecclesiæ enim miracula Deum habent authorem, reliquarum gentium, Diabolum, vt Magorum in Exodo.*

2. *Possibilitate & impossibilitate. Deus enim omnia, quæcunque vult, facere potest, in cœlo & in terra: cùm sit omnipotens. Diabolus non potest mutare naturam rerum, nec quicquam eorum, quæ sunt propria Dei: vt, creare aliquid, mortuos excitare, &c.*

Imò etiam eorum, quæ aliâs posset Satan facere, nisi Deo permittente, potest nihil.

3. Diuina congruunt cum verbo Dei reuelato. Diabolica æstimanda sunt, quacunque cum illo pugnant.

4. Finibus differunt. Diuina ad Deum reuelatum adducunt, & de certitudine doctrinæ cœlestis testantur. Diabolica, ad Idola & errores adducunt, eaq; stabiliunt.

Cur Deus Sathanæ permittit miracula edere?

Primùm, propter pios, vt tententur, num
Deut. 13. *in agnita verbi Dei veritate constanter perseuerare velint, vt hoc modo fides illorum*
1. Cor. 11. *probetur, manifesta fiat, & patientia eorum exerceatur. Deinde, vt circumspectiores reddantur, nec quamuis doctrinam amplectantur, ad cuius confirmationem miracula eduntur: sed prius ad Scripturæ sacræ normam exigant.*

Item, propter malos, vt in gratitudo eorum, & contemptus verbi Dei, in illis puniatur,
2. Thes. 2. *iuxta illud: Eò quòd dilectam veritatem recipere noluerunt, vt salui fierent: ideò mittet illis Deus efficaces errores, vt seducantur.*

DE

De libertate Christiana.

Esse libertatem Christianorum.

CHristus inquit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Ioh. 8. *Et Paulus hoc ipsum testatur, inquiens: In libertate, qua Christus vos liberauit, state, & nolite iterum iugo seruitutis subiici.* Gal. 4. 5.

Quid est libertas Christiana?

Est ius, quo verè credentes, à seruitute peccati, tyrannide Diaboli, accusatione Legis, damnatione, morte perpetua, legibus Mosaicis, adeoq; traditionibus humanis sunt per Christum liberati.

In quibus consistit libertas Christiana?

Primùm, quòd credentes in Christum liberi sunt à iure peccati, & mortis aeternæ, ab ira Dei, & damnatione Legis, ac tyrannide Diaboli: idq; per & propter Christum liberatorem & redemptorem. De qua liberatione, sequentia Scripturæ testimonia loquuntur: Apud Dominum propitiatio est, Psal. 130;

& copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius: de manu mortis liberabo eos: Ero mors tua, ô mors, morsus tuus, inferne.

Oſc. 13.

Secundò. Consistit libertas Christiana, in liberatione à tota Lege & Politiâ Mosaica: de qua Christus ipse testatur, inquiens: Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem. Sicut de hac Legis totius abrogatione, suprà, in loco de Lege, est dictum. Et Apostolus, Gal. 5. In libertate, in qua Christus vos vocauit, state: & nolite iterum iugo seruitutis subiici.

Tertiò. In liberatione à traditionibus humanis, quod Christiani illis non tenentur, nec etiam illis, quæ sua natura sunt adiaphora, id est, mediæ res, conscientiæ sunt alligandæ, vt existimetur, in illis consistere iustitiam, earumúe obseruationem, remissionem peccatorum mereri.

Matth. 15. Eruſtra colunt me, docentes doctrinas hominum.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

Hîc autem non tolluntur Politica ordinatio-

nationes, nec fœni laxantur cupiditatibus hominum, vt libertas in occasionem carnis detur. Gal. 3. Sed vt conscientiis libertas sua relinquatur, ne traditionibus humanis obnoxiæ reddantur, de quibus 1. Cor. 7. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum.

Quis adhiberi modus debet, in vsu libertatis Christianæ, in rebus mediis.

1. Vt illarum vsum liberum esse debere, sciamus, nec vlla Ecclesia alteram, propter illarum diuersam obseruationem, damnet: sicut ingenti malo, hoc in primitiua Ecclesia, de Paschate & ieiunio factum est.

2. Ne illius vsu apud infirmos, offendantur fratres infirmi, nondum satis confirmati & instructi in doctrina de libertate Christiana. Et ita infirmorum habenda ratio. De quo Paulus cùm alibi, tum præcipuè ad Rom. 14. multis agit: Infirmum in fide suscipite. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus est mortuus. Et alibi: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Sed nec econtrà pertinaces & obstinati in sua pertinacia, nostra abstinentia, 1. Cor. 8.

ab

ab vsu libertatis, & in impia opinione confirmandi. Hinc est, quòd Apostolus Titum noluit circumcidi, ne libertas Christiana periclitaretur.

Quid pugnat cum libertate Christiana?

Vincula legum, & traditionum humanarum, quibus grauantur hominum conscientiæ: cùm (quoad conscientiam) liberi sint Christiani ab illis traditionibus, easq; liceat omittere, extra casum scandali. Cum verò accedit opinio necessitatis, meriti & cultus, ad obseruationem harum traditionum, etiam de rebus medijs, & quæ suâ naturâ sunt impiæ: tunc Christiani eas minimè obseruare tenentur: sed sua libertate, & suo iure vtantur, easq; abijciant.

Quis est vsus huius doctrinæ, de libertate Christiana?

Multiplex. Primùm enim, conseruata hac doctrinâ, conseruatur etiam præcipua Religionis Christianæ doctrina, de gratuita peccatorum remissione. Et amissa hac luce doctrinæ, obscuratur doctrina de iustitia fidei: & transfertur hoc Christi beneficium sum-

summum, in obseruationem rituum & traditionum humanarum: vel certè, vt minimum, in obseruationem Legis diuinæ, & propriæ virtutes.

Tertiò, vt concordia in Ecclesia retineatur. Nam & discordia in Ecclesia, inter Doctores, & horribilia scandala oriuntur, non obseruata libertate Christiana, in rebus adiaphoris. Quod ex historijs omnium temporum notius est, quàm vt verbis multis sit opus.

Postremò etiam tetri errores inde sequuntur: cùm homines sentiunt, externos ritus, hominum authoritate institutos, cultus esse Dei: & affinguntur deinde plures impiæ, & absurdæ opiniones, de perfectione, vt in Monachatu accidit.

De Scandalo.

Hebræis Mokesch, Micschal, laqueum vel illaqueationem, cùm laqueis positis insidiæ struuntur, significant: Metaphora sumpta à Venatoribus, ac aucupibus,

bus, qui hoc modo insidiantur feris, vel aviculis. Latini offendiculum reddunt: cùm in via lapis, aut truncus ponitur, ad quem ambulantes impingunt, ut lædant pedes, vel corruant. Ante cæcum ne ponas offendiculum. Isai. 57. Auferte, vel leuate offendicula de via populi mei. Ier. 6. Ecce ego pono populo huic offendicula, ut impingant in ea. Leuit. 19.

Scandalum, Græcum est, à σκάζω, quod significat, claudico. Hinc σκάνδαλον, quiddam, ad quod impingens labitur, seu trepidat, ut claudicet.

Ita in genere, scandalum significat offensionem, vel rem aliquam, dictum aut factum, quo alij offenduntur & turbantur, & deteriores redduntur.

Quotuplex est Scandalum?

Duplex: Acceptum, seu Pharisaicum: & Datum.

Quid est acceptum vel Pharisaicum?

Cùm Hypocrita, aut sapientes huius mundi, vel impij, Dei, & piorum doctrina syncera, ac cœlesti, & operibus bonis, vel honestis & necessarijs factis, aut indifferentibus offen-

offenduntur, & irascuntur. Quod scandalum, vel offensa accepta dicitur. Sic Christus Iudais incredulis fuit offendiculum: sicut per Isaiam prædixit Dominus. 1. Cor. 1.

De Scandalo dato.

Quid est Scandalum datum?

Est, cùm falsa doctrina, aut mala exempla, seu facto impio, aut non necessariò, vel etiam indifferenter, non habita ratione infirmorum, alij offenduntur, eisq; nocetur: vel quia licentiam peccandi in illis confirmat: vel, quia ad imitationem inuitat: vel, quia aliquos ab Euangelio deterret, & ad defectionem allicit: vel, quia præbet occasionem hostibus maledicendi Christum, verbum eius & Ecclesiam.

Quemadmodum de Dauide, commisso ab ipso adulterio, & patrata cæde, dicit Nathan: Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini. Et Christus: Væ homini per quem venit Scandalum: melius illi esset, si mola asinaria suspensa à collo eius, submergeretur in mari. Cauete, ne offendatis vnum de pusillis istis, &c. 2. Sam. 12. Matth. 18. Marc. 9.

Qua

Quæ sunt causæ Scandalorum efficientes:

2. Tim. 2. *Falsa doctrina, quæ sicut cancer morbus, serpit. Non enim otiosi sunt falsi Doctores.*

Deut. 13. *Falsi Prophetæ dicunt: Eamus, & sequamur Deos alienos.*

Idololatria etiam multi decipiuntur: sicut Israelitæ in deserto à Madianitis, per idolum Baal peor.

Num. 25.

Impia facta eorum, qui sunt in Ecclesiæ societate, vt filiorum Heli, quorum peccatum erat grande nimis coram Domino, quòd homines detraherent, propter illud, sacrificio Domini. Quemadmodum & Dauid blasphemare fecit nomen Domini suo adulterio.

f. 155. Infirmū in fide retinere

Intempestiuus vsus rerum indifferentium, apud infirmos. Rom. 14. Noli offendere esca fratrem, pro quo Christus est mortuus. Vide plura in hanc sententiam, toto hoc cap. & 1. Corinth. 8. Non vsi sumus hac potestate, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

Qui

Qui sunt effectus datorum Scandalorum?

Deformare doctrinam cœlestem, eiusq; cursum impedire: præbere hostibus occasionem calumniandi bonam & salutarem doctrinã: deterrere alios, ne eandem amplectantur: contristare Spiritum sanctum in alijs: alios ad imitationem inuitare: augere calamitatu publicas & priuatas.

Quomodo cauenda hæc Scandala?

1. *Si sana doctrina proponatur perspicuè, propriè, & distinctè, ne falsas inde opiniones concipiant auditores: & errores taxentur & refutentur è sacra Scriptura fundamentis.*

2. *Sinistati ritus, qui nihil habent impietatis, & sine peccato retineri possunt, non facilè mutentur. Quia mutationes rituum ingentes motus secum afferunt. Qui morbus est familiaris iunioribus.*

3. *Si omnes studeant vitæ innocentiæ, præcipuè verò Ecclesiæ Ministri operam dent, vt sint irreprehensibiles, & typus fidelium.*

4. *Caueatur etiam, ne infirmi libertatis*

Christianæ vsu intempestiuo, offendantur.

5. Si disciplina publicè & priuatim conseruetur.

Contraria Scandalo dato.

Sunt exempla honesta, quæ alios ad imita-
Matth.5. *tionem inuitant: dicente Christo: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

De Cruce seu afflictionibus, & calamitatibus piorum.

Quid est Crux?

CRux est quæuis passio: quæ pijs in hoc Mundo à Deo imponitur: non vt perdãtur, sed vt fides eorum probetur, patientia exerceatur, caro mortificetur, Deus celebretur, & ipsi manifesti fiant.

Quotuplex est Crux?

Multiplex, & omnis generis malis & calamitatibus premuntur homines. In duas tamen quasi species principales diuidi possunt:

in

in internas, siue spirituales, & externas, vel corporales.

Accidit ne casu & temerè?

Minimè. Hæc enim Epicuræorum est opinio, Deum, eius q; prouidentia regi omnia, negantium: Scriptura verò sacra testatur, certo Dei consilio ista fieri omnia.

Proba.

Ieremias: Quis est, qui dixit, vt fieret aliquid Domino non iubente? Ex ore altissimi non egredientur, nec mala, nec bona? Et: Non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus: Vbi tamen non de malo culpæ, hoc est, peccato, sed pœnæ, loquitur. Quia Deus non est author vel causa peccati, sed tantùm pœnarum. Thren. 3. Amos 3.

Quæ est causa efficiens Crucis?

Deus ipse. Ad Hebr. 12. ex Prouerb. 3. capite. Fili mi, ne neglexeris correptionem Domini, neque deficias, cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Si castigationem sustineris, veluti filijs vobis offert se Deus. Quis enim est filius, quem non castigat Pater? 8.

Quomodo Deus dicitur causa Crucis: cùm Diabolus & Mundus pios exerceant?

Deus est causa principalis efficiens: sine cuius voluntate, ne capillus quidem de capite nostro decidit.

Diabolus verò & Mundus, organa sunt, & instrumenta Dei, quibus Deus permittit, vt pios affligant, & metas illis præscribit, ac circundat, quas transgredi non possunt. Vt in historia Iobis est videre. Ideò semper ad Deum authorem est respiciendum, & non ad instrumenta eius, quod canes faciunt, lapidibus petiti, qui amisso homine & neglecto, à quo læsi sunt, lapidem sectantur.

Quæ sunt causæ propinquæ, præcipuæ, & προκαταρκτικαὶ omnium malorum in toto genere humano?

Primùm. Peccatum nostrorum parentum protoplastarum, quod nascentes nobiscum afferimus omnes, vtpote in eo concepti: deinde ex hoc, tanquam ex fonte, oriuntur omnis generis prauæ cupiditates: inprimis caligo mẽtis humanæ, quæ infinitos parit errores, ex quibus homines mala sibi accersunt innumera, inq́ suum

suum ipsorum ruunt exitium. Sicut dicitur: Propter iniquitatem corripis filios hominũ, Psal. 39.

Adhæc Satan quoq; accedit, qui odio Dei & hominum, quibus inuidet felicitatem, de qua ipse excidit, imbecillam hanc naturam ad peccata incitat, quibus homines mala sibi accersunt & cumulant. Per peccatũ mors intrauit in Mundum, & in omnes homines mors peruasit, quoniam omnes peccauerunt: vel, eò, quòd omnes rei sunt. 1. Pet. 5. Tit. 2.

Cur potissimum Ecclesia Christi, & pij sunt cruci obnoxij?

Multa sunt causa. Primùm, vult Deus præcipuè in Ecclesia, & à pijs, agnosci & conspici peccati deformitatem & magnitudinẽ: ixaq; suæ magnitudinem aduersus illa: quæ non melius aut euidentiùs, quàm in pœnis & calamitatibus conspiciuntur. Sicut Isaias inquit: Cecidimus quasi folium, & iniquitates nostræ, quasi ventus, dissipauerunt nos. Item: Castigabo te, ne tibi videaris innocens. Et: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Isa. 46. Ier. 30. Mich 7.

Deinde, quòd oportet pios fieri conformes imaginis Filij DEI, iuxta hæc testimonia: Rom. 8.

Luc. 9. *Qui vult meus esse discipulus, tollat crucem*
1. Pet. 2. *suam quotidiè, & sequatur me. Et Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

Praeterea, afflictiones sunt testimonia doctrinae, quòd videlicet, non vtilitatis causâ circumferam doctrinâ verbi Dei, cùm propter illam vitae discrimina adeant: sed quòd reuera sentiant eius Professores, eam diuinitùs traditam. Vt Paulus, Apostoli, & reliqui, & innumera Martyrum millia.

Adhaec, vt mortificetur caro, & vetus homo, ne securiores in tranquillitate, timorem
1. Pet. 4. *Dei excutiant. Iuxta illud: Qui patitur in*
Ier. 31. *carne, desistit à peccato Item: Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus.*

Quod est discrimen inter Christi crucem & Sanctorum.

Sola Christi crux, placat iram Dei, satisfactio est & propitiatio pro peccatis totius Mundi. Solus calcaui torcular, & de Gentibus vir non erat mecum. Sanctorum autem crux & passiones, alias causas & fines habent. non sunt expiationes peccatorum, nec suorum,

nec

nec aliorum: sicut Pontificij impiè sentiunt, & hinc indulgentias commenti sunt ex superabundanti sanctorum passione & meritis.

Quæ est causa finalis Crucis?

Deus cruce suos exercet, in hac vita, non vt perdat, sed vt ad pœnitentiam reuocet, eamq; exerceat in eis, vt peccata, & ira Dei aduersus illa agnoscantur, & crescant in eis, Timor Dei, inuocatio, patientia, obedientia, spes & aliæ virtutes. Sicut Dauid canit: Bonum est mihi Domine, quòd humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas. Psal. 119. *Item: Pretiosa mors Sanctorum, in conspectu Domini.* Ibid. 116. *Isai. Domine, in tribulatione visitant te, angustia, in qua clamare, disciplina est eis.* Isai. 29. *Et cap. 18. Vexatio dat intellectum. Similiter & Apostolus: Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11.

Licet ne fugere Crucem?

Fugere licet crucem, sed legitimè, & ita tamen, ne prætor officium faciamus, illudúe deseramus. Et vt animus noster semper ad obedientiam sit paratus, & cum Saluatore

dicamus: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: non mea tamen, sed tua fiat voluntas. Sicut Dauid fugit Absolonem, & dicit: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet: Si autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat quod bonum est, coram se.

2. Sam. 15.

De precatione.

Quid est Precatio?

Est rei alicuius, non externa tantùm voce, sed interno cordis affectu, & intima mentis cogitatione, in fide à Deo facta petitio. Et ita colloquium cum Deo, à quo certi aliquid petitur.

Precatio quot habet species?

Duas: Inuocationẽ, & gratiarũ actionem.

Quid est inuocatio?

Est, qua aliquid certi à Deo petitur.

Qui nam rectè orare possunt?

Soli verè pœnitentes DEVM inuocant, vt exaudiantur. Peccatores enim (impœnitentes) Deus non exaudit: sed vertitur illorum oratio in peccatum: & frustra assumunt nomen Domini Dei in os suum: Deus auertit faciem suam, illis clamantibus: quia manus eorum sunt sanguine plenæ.

Ioan. 9. Psal. 109. 50. Isa. 1.

Quis

Quis in precatione inuocandus?

Solus Deus Pater liberatoris nostri Iesu Christi, in Spiritu sancto. Dirigatur autem oratio, vel ad Deum Patrem per Christum, vel etiam ad Christum ipsum, sicut Stephanus, vel etiam ad Spiritum sanctum. Quia hæ tres Personæ, vnus sunt Deus, vna Essentia. Quamcunque nominaſti, reliquæ subintelliguntur.

Quomodo id probas?

Testimonijs Scripturæ, quibus hoc diserte præcipitur. Deuter. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & ipsum solum coles. Psalm. 50. Inuoca ME (dicit Dominus) in die tribulationis: & ego eripiam te, & glorificabis me. Et Christus: Si vultis orare, dicite: Pater noster, qui es in cœlis. Item: Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

Quæ requiruntur ad veram precationem?

Primùm. Vt verum Deum, ex verbo ipsius agnitum, sicut ibi se patefecit Ecclesiæ suæ, hinc ab initio, tradito certo verbo, & misso filio propitiatore, inuocemus. Luc. 11.

Cùm oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum.

Secundò, ne fiducia propria dignitatis aut meritorum, sed fiducia Mediatoris Christi, Deum inuocemus. Iuxta illud: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Ioan. 16. *id est, ex fide, sine dubitatione orandum est. Matth. 21. Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes, accipietis.*

Tertiò, Certi aliquid in oratione Deo est proponendum, quid ab ipso petamus, & impetrare cupiamus. Hoc est, quicquid nobis & aliis est necessarium. Sicut in oratione Dominica Saluator certas quasdam nobis petitiones proposuit, in quibus pleraq; omnia sunt comprehensa.

Pro quibus est orandum?

Et pro nobis ipsis, & pro aliis: pro impetrandis bonis, & auertendis malis, quibus premimur, publicè & priuatim. Sicut Saluator nos in oratione Dominica docuit: Panem NOSTRVM *da nobis hodie. Remitte* NOBIS *debita nostra. Ne* NOS *inducas in tentationem, sed libera* NOS *à malo.*

Et testantur exempla in sacra historia,

quòd

quòd aliena fide, quam Deus exigit: exaudiat, & det ea, quæ petuntur, impetret bona & terrena alijs.

Quid opus est oratione, cùm Deus antea sciat, quibus indigeamus: & se daturum, antea decreuerit?

Quid Deus de nobis decreuerit, nostrisq; calamitatibus, num inde nos sit liberaturus, nec ne, scire non possumus. Quid verò nos facere velit, ex verbo ipsius cognoscimus: nempe, vt oremus & inuocemus ipsum. Hoc igitur nobis faciendum est: idq; propter mãdatum ipsius, cui tam obtemperandum est, quàm reliquis eius præceptis, etiamsi ignoremus ad quid preces conferrent. Iuxta hæc testimonia: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Psal. 50.

Item: Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Matth. 7.

Quæ igitur ad orationem nos excitare debent?

Primùm. Mandatum Dei, quo à nobis hunc cultum requirit: Inuoca me in die tribulationis, Orate, Petite: Oportet semper orare,

orare, Quærite, pulsate. Incessanter, vel indefinenter orandum.

Secundò Promissiones Dei dulcissimæ, simul & liberalissimæ: Propè est Dominus, omnibus inuocantibus eum, inuocantibus in veritate. Voluntatem timentium se, faciet Dominus, & deprecationẽ eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.

Psal. 144.

Tertiò Dignitas orationis. Vera enim oratio, proprius est cultus tantùm Ecclesiæ Dei. Et quidem præcipuus cultus, murus et anchora, arma Christianorum & asylum.

Turris fortitudinis, nomen Domini, id est, inuocatio vera Dei. Quia oratio cultus est Deo gratissimus, qui tribuit illi gloriam clementiæ, bonitatis, misericordiæ, veritatis, omnipotentiæ. Quòd misericors respiciat, curet, exaudiat, iuuet, liberet. Dirigatur oratio mea tanquam incensum, eleuatio manuum mearum, tanquam sacrificium vespertinum.

Prou. 18.

Psal. 141.

Quartò. Nostra propria, & aliorum necessitas, quæ varia semper est & multiplex.

Quintò. Quia habemus Mediatorem &

Pon-

tificem apud Deum Patrem, qui preces nostras ad ipsum perfert, cuius dignitate freti, Deum Patrem filiali fiducia inuocamus.

Postremò. Vis & effectus orationis. Multùm enim potest oratio fidelis: penetrat nubes & cœlos, nec desistit, donec exaudiatur.

Quis igitur est effectus Orationis?

Multiplex. Vno verbo: Consequi à Deo petita bona spiritualia amplissima, & corporalia. Imò, plus, quàm petamus, vel intelligamus, remissionem peccatorum, salutem, sapientiam, liberationem ex malis, & alia vitæ præsidia. Ephes. 3.

Quotuplex est exaudition?

Duplex: ad voluntatem, & ad vtilitatem. Etsi enim non semper nos exaudiat Deus ad voluntatem, dando id, quod petimus & volumus, semper tamẽ nos exaudit ad vtilitatem, dando aliquid melius. Quia exauditio certa est. Vnde dicitur: Sæpè Deum dare iratum, quod neget propitius. Auguſt.

Quid igitur in Oratione à Deo petendum?

Aliquid certi, nempe res à Deo promissa:

& hoc

& hoc est secundum voluntatem Dei orare: nempe spirituales & corporales, nobis & alijs vtiles & salutares. Et ita semper aliquid certi Deo in oratione proponendum, & ab ipso petendum.

Quæ est forma vsitata Orationis?

Oratio Dominica, quam Christus ipse præscripsit, & docuit Apostolos, in qua, compendio complexus est omnia, ad æternam nostram salutem, & præsentis vitæ sustentationem necessaria.

Interim, Psalmos elegantissimos, & alias precationum formulas, non censemus esse negligẽdas. Sunt enim ad huius Orationis enarrationem referendæ, eiusq; explicatio cùm elegans, tum copiosa.

Sunt ne corporalia quoque bona à Deo petenda?

Vtique. Quia Christus ipse, panem quotidianum, hoc est, omnia, ad præsentis vitæ sustentationem adminicula necessaria, petià Deo Patre cœlesti, mandauit.

Cur hæc à Deo petenda?

Propter tres potissimùm causas: Primùm: vt agnoscamus, ea non casu afferri, aut nostra

stra industria parari, vel secundis tantùm causis accepta feramus: sed vt à Deo authore dari & proficisci ea agnoscamus.

Secundò, vt sciamus, Deum in hac vita seruaturum Ecclesiam, quæ his adminiculis carere non potest, pace, victu, valetudine, vitæ prorogatione, &c.

Tertiò, vt in petitione horum bonorum, fidem reconciliationis, qua in his præ alijs lucere, & crescere debet, quoq; exerceamus.

Quo ordine & discrimine, hæc sunt petenda?

Cum conditione: si scilicet sit bona Dei voluntas, & nobis prosint ista: Quia nescimus, quid petamus, sicut oportet. Quemadmodum leprosus dicit: Domine, si vis, potes me mundare. Et Christus non solùm in forma Orationis à se præscripta, sed proprio quoq; exemplo, in simili casu, docuit nos orare: Pater, si vis, transeat à me calix iste: veruntamen non quod ego volo, fiat, sed, quod tu vis. Rom. 8. Matth. 8. Matth. 26.

Eodem'ne modo spiritualia quoq; à Deo petenda?

Spiritualia bona, vt remissio peccatorum, liberatio à morte æterna, donatio Spiritus san-

ſancti, & vita æterna, non ſunt cum conditione petenda: ſi ſcilicet placeat Deo. De his enim antea nobis conſtat ex verbo Dei, in quo Deus nobis ſuam voluntatem patefecit, ſicut inquit: Viuc ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. In his petendis, non eſt reſpiciendum ad noſtram dignitatem vel infirmitatem: ſed in Chriſtum.

Et firmiter, ac certò ſtatuendum, quòd agentes pœnitentiam, & credentes in Chriſtum, Deus Pater in gratiam recipere velit.

Quæ ſunt contraria precationi?

Fiducia propriæ dignitatis, aut meritorum aliorum hominum, ſiue viuorum, ſiue mortuorum, niti in oratione. Intermittere hunc cultum. Non inuocare Deum verum, vel hunc frigidè inuocare, abſque vera fide, animi pietate & deuotione. Sentire eas eſſe inane verborum murmur & ſtrepitum. Dubitare in oratione, vt Papiſtæ faciunt: cùm nemo, iuxta iſtos, certitudine fidei certus eſſe poſſit, de gratia Dei, num amore, vel odio, dignus ſit. Inuocare fictitios Deos, aut homines mortuos, vt fit in Litania Pontificia, vbi nominatim ſinguli Diui & Angeli inuocantur opitulatores & interceſſores. Cùm non

non solùm mediator vnus sit, sed etiam, intercessor & aduocatus, Christus. Rom. 8. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2.

Quid est gratiarum actio?

Altera hac est precationis species, quæ est, mente & voce confiteri, quòd bona spiritualia & corporalia non casu offerantur, vel nostra sapientia, aut viribus tantùm parentur aut conseruentur: sed quòd Deus horum omnium author sit & dator, eiq; vero corde se subijcere & obedire: vt ipse honore afficiatur, & plures ad veram eius agnitionem, & inuocationem inuitentur.

Sunt autem ingentia Dei beneficia, spiritualia & corporalia, publica & priuata, positiua & priuatiua, qua omnes & singuli accipimus, quibus nos obruit, abundè dans omnibus ad fruendum, coronans annum benignitate.

Huc pertinent Psalmi suauissimi, 102. & sequentes aliquot, in hoc argumenti genere, copiosissimè & elegantissimè scripti.

Sunt ne Sancti mortui inuocandi?

Minimè. 1 Quia honor inuocationis soli Deo debetur, iuxta illud: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem me- Deut. 6. Isa. 42.

am sculptilibus. Nam eum, qui inuocatur, necesse est, vbiq; adesse, & esse παρόντα πάντων, ac omnipotentem, qui vbique & vndique ad se clamantes exaudiat, & etiam gemitus eorum intelligat, ac possit iuuare & liberare ex omnibus malis. Quæ omnia & singula, soli vero Deo competunt. Ideo sanctorum mortuorum inuocatio planè Ethnica est, & Idololatria.

Secundò, nemo est inuocandus, nisi in quem credimus. Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Sed in sanctos non est credendum. Quia credo in vnum Deum. Ergo nec sunt inuocandi.

Tertiò, non est instituendus cultus in Ecclesia, sine mandato Dei: Sanctos mortuos inuocandos esse, nusquam in verbo Dei mandatur, nec eius exemplum vllum extat in eo. Ergo, &c. Isa. 63. Tu es Pater noster, & Abraham nesciuit, Israël nos ignorauit.

An non autem sunt honorandi Sancti mortui?

Vtique honorandi sunt: sed non inuocandi. Longè enim aliud est, Sanctos honorare, aliud, inuocare. Hoc soli Deo deberi, & nequaquam

quam de mortuis sanctis, iam probatum est.

Honorandi itaq; sancti, sed eo modo, quo Spiritus sanctus in verbo suo docuit.

Primùm, vt agnoscamus, & grati prædicemus eximia dona, quæ Deus in illos gratuita sua clementia & misericordia, contulit, remissis peccatis, in gratiam eos recipiens, & alijs excellentibus donis eos ornans.

Deinde, vt Deo, pro talibus organis Ecclesiæ salutaribus agamus gratias. Sicut Paulus de se & primitiua Ecclesia scribit: Eram autem ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo. Tantùm autem auditum habebãt, quoniam, qui persequebatur nos aliquando, nunc Euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: ET IN ME GLORIFICABANT DEVM. Gal. 1.

Præterea, vt ipsos nobis proponamus exempla virtutum omnium, quæ imitari studeamus, Fidem inprimis, dilectionem mutuam, diligentiam & assiduitatem in faciendo officio, constantiam in confessione, ingens animi robur, in perferendis periculis summis, propter sinceræ Religionis, & doctrinæ professionem, patientiam in aduersis & per-

Heb. 13. *secutione, ac odio totius mundi & Diabolorum. De quo Apostolus nos commonefacit: Mementote præpositorum vestrorum, qui locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.*

De Magistratu.

Quid est Magistratus?

Est genus officij vel functionis, diuinitus institutum, quo certæ personæ ordinantur, vt armata gladio, alios certis & honestis legibus regant & gubernent, vt in politica hac vitæ societate, pax & tranquillitas conseruetur, & gloria nominis Dei illustretur.

Quis est author ordinis Politici?

Deus, qui non solùm permittit, sed ordinauit & approbat suo verbo.

Probatio Scripturæ sacræ testimonijs.

Genes. 9. Qui fuderit sanguinem humanum, fundatur & sanguis ipsius, PER HOMINEM, non autem quemuis, sed legitimè ad hoc officium vocatum, hoc est, ordinarium Iudicem & Magistratum. Psal. 83.

Ma-

Magistratus Dij dicuntur, propter diuinum officium. Sunt enim DEI vicarij in terris: ideoq; nomen suum illis communicat. Dan. 2. Deus constituit & transfert Regna.

Est ne sublatus vel abrogatus Magistratus in nouo Testamento?

Nequaquam. Euangelium enim non abrogat. Politicas ordinationes, Magistratum, leges, iudicia, et reliqua societatis humanæ vincula, iuri naturæ & rationi consentanea.

Sic Christus à Pharisæis interrogatus, num liceret Cæsari dare censum? confirmat eum in suo officio, respondens: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Matth. 22.

Rom. 13. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq;, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Licet ne homini Christiano Magistratum gerere?

Maximè. Quia est bona Dei ordinatio & creatura, generi humano vtilis. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est, & nõ reijciendum, sed cum gratiarum actione vtendum. 1. Tim. 4.

Nec Euangelium mutat politias, sed concionatur de interiori iustitia, quæ est per fidem in Christum. Interim relinquit leges, iudicia, Magistratus ac ordinationes politicas suas, cuiq; populo & genti.

Quæ est causa finalis Magistratus?

Publica pax & tranquillitas, vt quisque suis tuto in ocio vti, frui, possit, 1. Tim. 2. Orate pro Regibus, & omnibus, qui sunt in sublimitate constituti: vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.

Quod est officium Magistratus?

Pij & Christiani Magistratus officium est, agnoscere se diuinitus esse officio præfectum: ideoq; verbum Domini discere: ex illo Deum cognoscere & timere: omnesq; suas actiones ad gloriam nominis DEI illustrandam referre: esse custodem totius Decalogi, quoad externam disciplinam, abrogare Idololatriam, prohibere & punire blasphemias, bonos tueri & defendere, improbos punire, & ita iustitiam administrare, procurare & promouere subditorum commoda, & esse patriæ patrem, eisq; vitæ honestate, & morum integritate præire & prælucere.

Dic

Dicteſtimonia Scripturæ:

Deut. 17. Poſtquam Rex ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteron. legis huius in volumine, habebitq; ſecum, & leget illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba eius, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt.

Iſai. 49. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Hiskias & Ioſaphat Idola abrogarunt, & ſincerum ac legitimum cultũ Dei reſtaurârunt. Et hoc nomine commendantur à Deo. Rom. 13. Vis autem non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum. Si autem mala feceris, time. Non enim frustrà gerit gladium. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit.

Quatenus Magiſtratui obediendum?

In omnibus licitis & honeſtis. Non enim infinita eſt eius poteſtas, ſed limitata & circumſcripta ſuis & certis legibus, ne quid contra Dei mandata, vel honeſtatem præcipiat, in his n. ceſſat obedientia, Magiſtratui debita. Et hîc obſeruetur Regula Chriſti: Date Matth. 22.

Cæsari, quæ sunt Cæsaris, et Deo, quæ sunt Dei.

Actor. 2. Item: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Similiter & si inhonesti aliquid præcipiat, vt obtemperando & faciendo subditi peccent, nec in hoc quidem casu obediendum: sed tamen non seditiosè se opponant subditi, verùm potiùs ferant tyrannidem.

Si verò iniqua exigant subditis, & iniusta onera imponant, non habent quidem eius rei potestatem, sed tamen ne sic quidem rebellandum est, verùm equo illa sunt ferenda animo: & non per seditionem excutiendum iugum. Non enim qui patienter suffert iniurias, inhonestum, aut pœnas, & onera iniusta, iniustus est, aut peccat, sed qui facit, imponit, & infligit. Sicut cùm Ahab eriperet vineam

1. Re. 21. Naboth, & occideret eum, ferendum quidem hoc erat ei: sed postea Tyrannus pœnas luit.

1. Pet. 2. Vnde Petrus etiam discolis, hoc est, prauis dominis, famuli, & sic subditi, vt obediant, monet.

Quare obediendum est Magistratui?

Primùm, propter ordinationẽ & mandatũ Dei. Deinde, ad cauendas pœnas. Vtrumque Paulus complexus est paucis his verbis:

Rom. 13. Quapropter oportet subditos esse, non solùm propter

propter iram, verùm etiam propter conscientiam: hoc est, non ideò tantùm, vt caueantur pœnæ: sed etiam, quia rea fit conscientia, propter violatam Dei ordinationem, & ipsius mandatum.

Insigne exemplum punitæ seditionis in populo Israelitico extat., Num. 16. vbi horribiliter diuinitus deleta sunt multa millia seditiosorum hominum, cuius simile, nostra quoq; vidit atas, in rusticis seditiosis.

Quæ sunt cognata?

Pater, & patria potestas. Nihil enim differt bonus Magistratus à bono Patre. Vnde summus dignitatis & honoris titulus fuit, Magistratus, apud Romanos, qui optimè meritis tribuebatur: PATER PATRIÆ.

Item Minister Ecclesiæ, quia hunc ille suo officio, iuuare debet. Vnde in Politia Gentis Israelitica, summus Sacerdos & Iudex, grauiores causas simul cognoscebant. Deut. 17.

Sic Imperatores pij generalia Concilia indixerunt: vt noua hæreseis, quibus Ecclesia perturbatur, dijudicarentur, & legitimè damnarentur.

Quæ sunt contrariæ

Seditiosæ opiniones Anabaptistarum: quòd negant, Christianum posse Magistratum gerere.

Similiter pugnant Pontificiorum prauæ opiniones, non multum à furiosis Anabaptistarum erroribus absimiles, sicut videre est in Conciliorum decretis, Romano, sub Syluestro, cap. 16. quod ita habet: Sacerdotes non intrent in curiam: QVONIAM OMNIS CVRIA, A CRVORE DICITVR: ET IMMOLATIO SIMVLACHRORVM EST.

Concilium Eliberinum, cap. 56. Magistratum verò eo anno, quo agit Duumuiratum, prohibere placet, vt se ab Ecclesia cohibeat. Hinc est, quòd in Papatu, carnificibus, executoribus sententiæ à Magistratu legitimo latæ, Eucharistiam negârunt. Et multa alia consimilia.

Item Imperatoribus, Regibus, & Principibus persuaserunt, vt Regnorum administratione, gladijs & sceptris depositis, Monasteria ingrederentur, & induti cucullis Monasticis, pœnitentiam agerent, de priore vitæ genere, quasi perperam acto.

DE

De Coniugio.

Quid est Coniugium?

EST legitima & indissolubilis copulatio vnius maris, & vnius fœminæ, instituta diuinitus, ad generis humani certo ordine propagationem, & vt omnes vagæ libidines vitentur, Deoq; in hac Oeconomica societate seruiatur.

Cur dicitur legitima copulatio?

Primò, cùm dico, legitimam esse copulationem, volo eam legibus naturæ, diuinis & humanis, hoc est, præsentis Magistratus, consentaneam. Deinde, his verbis consensus etiam requiritur, non solùm contrahentium, sed etiam parentum.

Cur dicitur indissolubilis?

Ad cauendam & prohibendam leuitatem, quæ vel in deserendo, vel diuortijs vulgaribus vsitata fuit. Quod enim Deus coniunxit, homo non separet. Item: Vxor alligata est viro, quamdiu maritus eius viuit. Et ita forma est coniugij, qua & officium coniugale complectitur. Matth. 19. 1. Cor. 7.

Quæ

Quæ sunt causæ efficientes coniugij?

Efficiens principalis, est Deus author, qui ipse in paradyso, & natura adhuc integra, ante lapsum instituit, & post lapsum primorum parentum, confirmauit.

Minus principalis, & tamen proxima, consensus personarum, quæ coniungi debent. Consensus enim, non concubitus, facit coniugium. Ideò consensus sponsi & sponsæ sit expressus. Et absit violentia & coactio, ne inuiti cogantur, sicut Rebeccæ consensus requiritur. Gen. 24.

Quid de parentum consensu?

Maximè hic quoq; accedat necesse est, in quorum sunt potestate, idq; ex quarto Decalogi præcepto, in quo honor parentibus debitus requiritur.

Hoc Leges ciuiles Romanorum Imperatorum sanciuerunt. Et Instit. Iustiniani, titulo de nuptijs, honestissima Lex extat: Iustas autem nuptias ciues Romani inter se contrahunt, &c. Dum tamen, si filij familiarum sint, CONSENSVM HABEANT PARENTVM, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & ciuilis

ciuilis & naturalis ratio suadet, in tantùm, vt iussus parentis precedere debeat. Vide plura ibidem.

Solus Antichristus Romanus, hac quoq; in parte, vt alijs pleris q; omnibus, ab hac Dei ordinatione discessit, eamq; lacerauit, consensum parentum non de necessitate, sed tantùm de honestate esse, nugatus est.

Quæ est causa formalis coniugij?

Coniunctio duarum personarum, quæ legitimè coniunguntur, vnius masculi, & vnius fœminæ. Masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Erunt duo in carnem vnam.

Qui sunt fines & effectus coniugij?

Multi sunt. Primus, vt Deo, eiusq; mandato obtemperemus, qui instituit coniugium, & vult, vt omnes, qui idoneos se ad illud esse sentiunt, & donum continentiæ non habent, quo castè, non solùm corpore, sed etiam animo, extra illud viuant, eo vtantur. Iuxta illud: Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisque vestrûm, vas (corpus) suum possidere in sanctificatione & honore, & non

1. Cor. 7.

1. Thess. 4.

& non in passione desiderij, sicut Gentes, quæ ignorant Deum.

2. Vt habeat homo, qui est animal ad societatem conditum, vitæ socium. Sicut inquit Dominus: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium, quod circa illum sit. Item: Væ soli, qui cùm ceciderit, non habet, qui subleuet eum.

3. Propagatio generis humani, certa Lege à Deo sancita. Masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam. Crescite & multiplicamini, & replete terram. Vide Psal. 127. 128. in quibus Spiritus sanctus pulcherrimis figuris ludit, depingit, canit, & ornat coniugium.

Gen. 2.

4. Vt educentur pie ciues ad gloriam Dei, Ecclesiæ ædificationem, ac Politicam congregationē. Aues præcepta mea filijs tuis. Item: Patres, educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini.

Deut. 6.

5. Vt sit remedium vitandæ fornicationis, & aliarū libidinum inconcessarum. 1. Cor. 7. Vitandæ fornicationis causa, vnusquisq; habeat vxorem suam, & vnaquæq; virum suū.

6. Vt

6. *Vt sit mysterium spiritualium nuptiarum Christi cum Ecclesia. Viri diligite vxores vestras, quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam suam. Mysterium hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia.*

Quæ sunt cognata?

Castitas, qua virtus est, non cœlibatus tantùm, sed etiam coniugij. Iuxta hæc testimonia: Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus: vel castus concubitus. Heb. 13.

2. *Spirituales nuptiæ Christi cum Ecclesia, quam sibi desponsauit in iustitia, iudicio, misericordia & miserationibus. Et Ephes. 5. vt suprà fine sexto.* Osc. 2.

Concubinatus Patriarcharum, & Regum, qui verum fuit coniugium, nisi quòd concubinæ non erant primariæ vxores, sed sine pactis dotalibus, inferiori gradu & loco, sicut etiam liberi ex tali concubinatu, non pariter succedebant Patri in omnium bonorum paternorum hæreditate, cum liberis ex herili coniuge: sed tantùm, in certa quadam, & rata portione, legata & dona accipientes, quibus contentos esse oportebat.

Hinc verò concubinatus Papisticus, qui non est coniugium (hoc enim illis interdicitur)

tur) sed scortatio perpetua, minimè defendi potest, & inter pugnantia cum coniugio reponendus est.

Da igitur pugnantia cum coniugio.

Plurima sunt. Adulteria, quæ Deus punit, non tantùm temporalibus pœnis præsentis vitæ, vt Dauidem, amentia & cæcitate.

Osc. 4. *Fornicatio aufert cor: sed etiam æternis.*

1. Cor. 6. *Non habebunt partem in Regno Dei, adulteri, fornicatores, &c.*

Leges ciuiles capitis pœnam rectè statuunt, C. ad Legem Iuliam de adulteriis. Quemadmodum & Deus in Repub. Israelitarum.

2. Vagæ libidines omnes extra coniugium, scortationes, fornicationes, stupra, cùm virginum, vel honestarum viduarum pudicitia violatur. Quæ qui faciunt, Regnum Dei non possidebunt. Vnde vox est Diabolica, qua di-

Tetent. *citur: Crede mihi, non est flagitium scortari adolescentem.*

3. Incesti concubitus & nuptiæ, quæ cum sanguine proximè iunctis contrahuntur: vt Loth cum filiabus concumbens, licet inscius: Ruben cum nouerca: Amon, filius Dauidis, cum sorore Thamar: Absolon cum vxoribus

1. Cor. 5. *Patris: Corinthius nouercam ducens: Reges*

Ægy-

Ægyptij cum ſororibus : Oedipus ignarus, matrem Iocaſtam ducit, & ex ea liberos ſuſcipit.

4. Prohibitio coniugij certo vitæ generi, videlicet, Sacerdotibus, Epiſcopis, Diaconis, Monachis & Monialibus : contra expreſſam Dei ordinationem, & quidem in ſpecie, de hoc hominum genere factam.

Epiſcopus, inquit Apoſtolus, ſit vnius vxoris maritus. Similiter & Diaconi. Vnde & prohibitionem nuptiarum, Spiritus ſanctus, doctrinas Damoniorum pronunciat. 1. Tim. 3. 1. Tim. 4.

5. Impurus cœlibatus Pontificius, & omnes flammæ libidinum. His enim, qui dono virginitatis & continentiæ carent, melius eſt nubere, quàm vri. 1. Cor 7.

Virgo autem ſancta ſit, & caſta, ac pura, non tantùm corpore, ſed etiam animo. Ibid.

6. Huic cognatus eſt concubinatus Pontificius, qui eſt perpetua ſcortatio, & tamen toleratur in ſacrificulis, à Romana Eccleſia: modò non ſint honeſti coniuges, ſecundum ordinationem diuinam, & præceptum Apoſtolicum. Tanta eſt vis ac Tyrannis impiarum Legum, & ſcelerata Rom. Pontificum malitia.

7. *Diuortia vulgaria, ex leuitate facta, cùm olim apud Iudæos, tùm apud Gentes vsitata. Vt Cato Rom uxorem Martiam concessit Hortensio petenti: deinde, mortuo Hortensio, eam recepit. Dico ex leuitate facta: quia causæ veræ esse possunt, videlicet, adulterium, & desertio.*

8. *Vituperationes coniugij, & sexus muliebris, quòd carnale, & immundum vitæ genus sit, in quo Deo placere homines non possint, nec ei seruire.*

9. *Damnatio secundarum nuptiarum ab Hieronymo facta, qui eas adulterio æquat.*

10. *Spurci & obscœni sermones, quos prohibet Apostolus: Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.*

11. *Item occasiones, & irritamenta, ac fomenta libidiū: ocium, quod est puluinar Satanæ, fomentum libidinū & malorū omnium.*

De Antichristo.

Quid significat vocabulum Antichristus?

GRæca est dictio, & ex vi vocabuli significat, *Christo contrarium: vel contra Christum: Christo oppositus, ἀντιχριστος.*

Et

Et hac ratione competit omnibus, qui Christo aduersantur, sicut 1. Ioan. 2. scribitur: Nunc Antichristi multi sunt facti.

Germanicè vulgò dicitur: Ende Christ/ paululum mutata voce, sed ideò sic dictum esse existimauerunt, quòd circa Mundi finem venturus sit. Quod haud dubiè singulari Satanæ astu factum est, vt homines securiores fierent, nihil minus cogitantes, quàm præsentem Antichristum, Regnum in Ecclesia obtinere.

Quæ & vnde est illius origo?

Apostolus diserte docet, ex Ecclesia nasciturum, in eaq; dominaturum, facta prius à fide defectione.

Cur Apostoli vruntur singulari numero Antichristus?

Quia vnum aliquod præcipuum impietatis Regnum sit futurum, in quo vnus aliquis futurus sit Monarcha illius Regni, & caput, qui Christo se oppositurus sit, & hoc Regnum administraturus: in quo tamen sibi inuicem succedant. Sicut Diabolus, singulari numero in sacra Scriptura dicitur: ita eius quoq; vicarius, Papa Romanus

Quæ est causa efficiens Antichristi, eiusq; Regni?

Dia-

Diabolus est causa principalis. 2. Thess. 2. Cuius (inquit, sceleroſi, & filij perditi, hoc est, Antichriſti) aduentus, est ſecundum operationem Satanæ.

Vbi regnabit Antichriſtus?

Sicut non niſi ex Eccleſia originem ſuam ducet: ita etiam non niſi in Eccleſia dominabitur. Sedet in templo Dei. Aliâs enim non proprie Antichriſtus ille diceretur. Sicut hæretici etiam, non niſi ex Eccleſia naſcuntur. Quemadmodum & Pſeudoapoſtoli & Pſeudoprophetæ.

Quis igitur Antichriſtus ille?

Pontifex Romanus.

Proba hoc.

Quia omnes & ſingulas notas habet, quas Scriptura Antichriſto tribuit, deſcribens eũ: hæ autem leguntur in ſecunda Pauli Epiſtola ad Theſſalonicenſes, ſecundo capite, & in Daniele, duodecimo capite.

Cur igitur non eſt agnitus ſuperioribus ſeculis?

Eſt agnitus à multis, & ita prædicatus: ſed hi, rabie & furore beſtiæ illius, & meretricis Babylonicæ ſunt oppreſſi, occiſi, dilacerati, ac deuorati, gladio, fune, & flamma. Deus enim eorum ignis eſt conſumens.

Et

Et nondum tempus erat, quo publicè reuelaretur, & à plerisq; omnibus agnosceretur: adhuc durante iustæ iræ Dei magnitudine propter peccata præterita. Suo enim & definito ac determinato tempore reuelandus erat. 2. Thess. 2.

Quo igitur modo & tempore reuelandus erat?

Verbo Dei, circa mundi finem. Dies Domini, inquit Apostolus, non instat, nisi prius reuelatus fuerit homo ille peccati. 2. Thes. 2.

Quamdiu durabit Antichristi Regnum?

Vsq; ad mundi consummationem: sed tamen non ita in flore erit, aut manebit, vt antea: quia occisus spiritu oris Domini Iesu: sed tamen, nondum est prorsus deletus: verùm manet, & manebit vsq; ad illustrem Christi aduentum, quo eum penitùs destruet, & in lacum inferni profundum sulphureum, cum omnibus suis asseclis & squamis proiicie. 2. Thes. 2.

Quæ sunt cognata Antichristi?

Omnes hæreses in Ecclesia, & extra illam. Regnum Mahometicum, quod etiam blaspemat Christum, & Christianos crudelissimè persequitur. Sed in hoc differt, quòd est extra Ecclesiam, & caret miraculis.

De Morte.

Quid vocabulum mors significat?

VIta huius præsentis & terrena priuationem significat, qua scilicet in homine, propter peccatum, anima separetur à corpore, quod dissoluitur.

Et quia ingentes calamitates, miseriæ, morbi, & alia mala, non solùm præambula sunt mortis, sed etiam pars quodãmodò eius, quibus procuratur, promouetur, & acceleratur mors: ideò deinde etiam pro illis omnibus calamitatibus, plagis, morbis, & rebus noxijs accipitur.

Sic Pharao ad Mosen & Aaronem dixit:
Exod. 10. Rogate pro me Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam: de plaga locustarum loquens.

Quæ sunt species mortis?

Est mors corporalis, de qua ab initio dictum est. Est mors spiritualis, qua est animæ, per & propter [illegible]am, propter quod animæ Deus irascitur, & obnoxia fit æternis pœnis. Est & mors secunda.

Quid est mors secunda?

Est æterna damnatio, qua in infernũ im-

pij

pij præcipitabuntur, vt illic crucientur perpetuò, vbi mori cupient, & mors fugiet ab eis. Sicut in Apocalypsi habetur: Timidis autem & incredulis, & excœcatis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & Idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno, ardenti igne & sulphure Apoc. 21.

QVOD EST MORS SECVNDA.

De his omnibus mortis speciebus, & partibus intelligendum est illud, quod Dominus protoplastæ dixit: Genes. 1. Quacunq; die comederis ex arbore vetita, morte morieris.

Quæ est causa mortis?

Primùm. Diabolus, cuius inuidia mortem intrasse in mundũ scribitur. Sap. 2. in fine.

Deinde. Parentum primorum consensus, qui libera sua voluntate, Diabolo consentientes, mandatum Dei transgrediendo, peccauerunt: mortemq; , quam Deus comminatus fuerat, peccato suo accersiuerunt. Quæ pœna postea cum ipso peccato, in totam ipsorum posteritatem transyt, & est propagata.

Proba hoc.

Propterea, sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundũ intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines MORS, Rom. 5.

per transyt, quatenus omnes peccauerunt.

Ibidem 6. Stipendium peccati mors.

Quod est subiectum mortis?

Totum genus humanum. Syr. 14. Omnis caro atteritur instar vestimenti: ac si stat fœdus æternum & antiquum: semel moriendum est.

Sed cur Sanctis moriendum est, cùm sint iusti coram Deo?

Sancti, hoc est, credentes, sunt iusti coram Deo, sed imputatione, & non omnimoda regeneratione. Nec carent peccato, quod in carne adhuc hæret, quamdiu hanc vitam viuunt. Ideoq; propter peccati reliquias in carne hærentes, mortem interpodere necesse est, vt aboleatur & destruatur corpus peccati. Caro
1. Cor. 15. *enim hæc & sanguis Regnum Dei non possidebunt.*

Est ne mors mala?

Est malum naturale: quia destructio ordinis, & naturæ horribilis. Hinc fit, quòd omnes naturaliter eam fugiant, & reformident: etiam Bruta animalia. Cupit enim & appetit Natura conseruationem sui: sicut etiam omnia à Deo ita sunt condita, vt sint. Nec prohibitum est mortem fugere, legitimè, & sine peccato. Sed

Sed non est malum culpæ, verùm pœnæ: Id est, non est peccatum mors: verùm pœna & stipendium peccati, Rom. 6.

Quomodo igitur dicitur precio, sa ac lucrum?

Id fit per accidens. Nam ipsa per se mors, bona non est, sed mala. Bona autem fit, preciosa, ac lucrum SANCTIS, hoc est credentibus, quibus fit somnus, quo requiescunt à laboribus in cubiculis suis, ianua, portus, & aditus est, ad regnum cœlorum. Psal. 116. Philip. 1. Apoc. 14. Isa 26. Ioan. 5.

Qui sunt effectus mortis?

Afferre dolores, qui in dissolutione corporis & animæ fiunt, in aliis maiores, in aliis minores, qui in sacra Scriptura dicuntur dolores mortis. Privatio rerum omnium humanarum, quibus in hac vita vtimur fruimur. Redigere corpus in puluerem & cinerem.

Quæ sunt contraria?

Vita. Messias, quo mortem sustulit, euerso eius imperio, sublato peccato, in se credentibus, pro quo satisfecit. Ero mors tua, ô mors: & sic liberatio à morte, per eundem facta. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, tamen viuet. Ose. 13. Ioan. 11.

Licet ne lugere mortuos?

Maximè. Id enim Scripturæ testimonia,

Eccles. 7. *& exempla docent. Salomon inquit: Melius est ire in domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens homo cogitat, quid futurum sit.*

Syracid. 38. Fili mi, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus, incipe plorare. Acerbis lachrymis deplora eum, & cor tuum vero dolore afficiatur, & gere signa luctus, sicut postulat illius dignitas.

Sic Abraham suam defunctam Saram luxit. Genes. 23.

Sic Joseph, parentem suum, Jacob, deplorauit. Ibid. vlt. Sed sit modus in luctu.

Quis modus esse debet in luctu.

1. Thess. 4. *Ne contristemur, sicut cæteri, qui spem non habent. Et ne nosmetipsos conficiamus:*

Syr. 38. *Moderare luctum, nam tristitia parit mortem, & cordis mœstitia languefacit virtutem. Ne sinas tristitiam in corde tuo radices agere, sed pelle eam, & finem cogita. Non enim est reuersio, & illi non proderis, & teipsum lædes. Cùm igitur mortuus fruatur quiete, par est, vt luctum modereris, & hac te consolatio-*

latione sustentes, quòd spiritus à corpore sit separatus.

De Sepultura.

Quomodo dictus est locus sepulturæ?

HEbrais Beth chaim, id est, domus viuentium, quòd mortui illic iacentes sese sepulti, Deo viuant. Sicut Saluator noster de Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob, dicit, quòd viuant: quia Deus profiteatur, se illorum Deum esse, sit autem Deus non mortuorum, sed viuorum. Græcis dicitur κοιμητήριον, hoc est, Dormitorium, quòd illic corpora, tanquam in ipsis cubiculis, à laboribus, quos in hoc Mundo sustinuerunt, requiescant, & dulcem somnum dormiant. (Schlafkammer.) *Isa. 26. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum.*

Nobis rectè dicitur ager Dei, Gottsacker, quòd in eum, corpora Christianorum, quæ sunt Dei grana, qua reuiuificabit, & ad vitam resuscitabit perpetuam, illic condantur & reponantur.

Quibus

Quibus & singulis appellationibus, fides nostra, de carnis resurrectione confirmatur.

Vbi habendus est locus sepulturæ?

Psal. 24. *Parùm refert, quo loco habeatur: Domini est terra, & plenitudo eius. Nec opus est noua, & Magica Sacrifici consecratione: Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant* Gen. 1. *valdè bona.*

Sed tamen ex Scriptura sacra apparet, plerunq; extra vrbes sepulturam fuisse. Sicut Gen. 23. *Abraham emit agrum, in vxoris, suam, suorumq; sepulturam. Sic ex historia Euangelij apparet, extra vrbem fuisse sepulturam. Ef-* Luc. 7. *fertur enim adolescens extra portam Nain.* Ioan. 11. *Sic Lazarus extra Bethaniam sepultus est. Sic Ioseph ab Arimathia, homo diues, sepulchrum nouum sibi in horto excidi curauit, in quo Christus sepultus iacuit.*

Ergo ne nihil refert, quocunque corpora defunctorum abiiciantur?

Absit hæc barbaries & impietas, vt funera, & ossa piorum, sicut cadauera brutorum abyciantur: sed danda est opera, vt peculia-

ri-

ria & commoda habeantur sepultura loca, eaq; honestè habeantur. Nec sepulchra violanda.

Vnde ortus est ritus sepeliendi mortuos?

Ex verbo Dei, vbi Deus Adæ, & posteritati eius, mortem irrogatum iri denunciat, in pœnam peccati, & ait: In sudore vultus tui Gen. 3. *vescêris pane tuo, donec reuertaris in terrã, ex qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et Salomon: Reuertatur pul-* Eccles. 13. *uis in terram suam, vnde erat: & Spiritus redeat ad illum, qui dedit eum.*

Cur hoc faciendum est?

Non tantùm, ut hoc postremo pietatis officio, nostram dilectionem, erga proximos nostros defunctos, sed multò magis fidem nostrã de resurrectione carnis nostræ, declaremus.

Sunt enim hæ exuuiæ, grana, in agrum Domini iecta, preciosa, quæ, etsi in eo computrescant: tamen in nouissimo die incorruptibilia & immortalia resurgent gloriosa. Quare religiosè sunt sepelienda.

Quæ

Quæ fuerunt ceremoniæ funerum?

In populo Dei mos fuit, flere, & plangere mortuos. Geneſ. 23. Abraham venit, vt fleret & plangeret Saram mortuam. Sic vniuerſus Iſrael cõgregatus, planxit Samuelem nimis,
1. Sam. 25. *& ſepelierunt eum in vrbe ſua Ramatha. Sic*
28. *Aharonem, ſic Moſem fleuerunt.*

Addiderunt & ſuffimenta aromatum, ſi-
2. Par. 26. *cut ſepelierunt Aſa, in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid, & poſuerunt eum ſuper lectum ſuum, vel lecticam, quam repleuerunt aromatibus, & diuerſis ſpeciebus aromatum, confectis pigmentario opere, & combuſſerunt combuſtione magna admodum.*

Matth. 9. *In hiſtoria Euangelij ſcribitur, adhibitos*
Ioan. 11. *fuiſſe tibicines, qui lugubria canebant. Ca-*
Ibid. 19. *dauera linteaminibus inuoluerunt, faſcijs circumligatis: Aromatis etiam vnxerunt Ieſum, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.*

De ſtatu Animarum.

Num etiam moritur anima, an eſt immortalis?

IMmortalem eſſe, Scriptura ſacra teſtatur. Recita

Recita Scripturæ testimonia de animæ immortalitate.

Geneſ. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, &c. Deus autem eſt immortalis, ergo & anima, &c.

Sap. 3. Anima iuſtorum in manu DEI ſunt, & non tanget illas tormentum.

Sicut diſertè idem teſtatur Chriſtus, cùm dicit. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt. Matth. 10.

Item latroni in cruce pendenti, affirmat, inquiens: Hodie mecum eris in paradiſo. Luc. 23.

Cum hoc Paulus eſſe cupit, ex corporis ergaſtulo ſolutus. Si exhalans anima diſſiparetur, & in auras, fumi inſtar, euaneſceret, certè non vnà cum Chriſto verſaretur. Philip. 1.

Vbi ſunt animæ poſt mortem?

Piorum apud Deum: cuius conſuetudine, non dormientes, ſed in pace & gaudio viuentes, fruuntur perpetua latitia cum Chriſto, in vita beata, quam Scriptura etiam ſinum Abrahæ vocat: Chriſtus paradiſum, ſicut iam probatum eſt.

Sed

Sed quid de impiorum, hoc est, incredulorum animabus fit?

Præcipitantur in infernum, & illic cruciantur. Psal. 49. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.*

Psalm. 54. *Descendent in infernum viuentes.*

Luc. 16. *Diues in inferno sepultus, cruciatur flamma, & est in tormentis.*

2. Pet. 2. *De Diabolis scribit Apostolus: Rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.*

An verò non est medius locus inter cœlum & infernum?

Scriptura sacra, tertium (vt ita loquamur) locum prorsus ignorat: sed tantùm de cœlo & inferno loquitur. Sicut etiam Christus, omnes homines, in duo tantùm genera diuidit, credentium scilicet, & incredulorum.

Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est. Qui non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.*

Estne

Est ne orandum pro mortuis?

Ex his, quæ iam sunt posita, & probata, sequitur, nec esse orandum pro mortuis. Aut enim cum Deo felicitate fruuntur perpetua, & non indigent viuorum intercessione & suffragijs, quæ sic vocant: aut iam sunt damnati, & in inferno positi. Et frustrà suscipitur oratio, nec iuuantur, aut liberantur illinc. Referet enim vnusquisque, prout gessit in corpore. 2. Cor. 5.
Et in quocunq; loco lignum ceciderit, ibi erit Eccl. 11.
Sicut etiam Abraham diuiti respondet: Inter nos & vos, chaos magnum firmatum est, vt, qui volunt hinc transire ad vos, non possint. NEQVE INDE HVC TRANSMEARE. Luc. 16.
Et quia orationem ex fide fieri necesse est: fides autem verbo Dei nititur: de oratione verò pro defunctis, verbum & mandatum Dei non extat: ideò pro illis, non ex fide, sed frustrà oratur. Rom. 10.

Quid igitur de Purgatorio est sentiendum?

Fabulam esse, figmentum, & commentum Poëticum, ac Gentilium, qui fuêre ignari Dei. Sicut Plato in Phædone illud describit, planè eodem modo, quo Pontificij. Quem se-

secutus Virgilius in 6. Æneidos. Hi Prophetæ sunt, & Apostoli, Doctores & Authores, qui hunc articulum fidei Cacolyca Papistica Ecclesia fundauerunt. Caret enim omni Scripturæ sacræ testimonio. Hinc est, quòd D. August. sibi hac de re non constet, sed iam dubitet: Non redarguo, quia forsitan verum est. De ciuitate Dei, lib. 21. cap. 26. Iam astruat, Enchirid. ad Laurent. cap. 110. Iam neget, dicens: NEC EST VLLVS VLLI MEDIVS LOCVS, VT POSSIT ESSE NISI CVM DIABOLO, QVI NON EST CVM CHRISTO. Idem: Etsi in regni Dei possessione nunquam erunt: æterno supplicio tenebuntur. Quoniam non est locus medius, vbi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno.

Aug. de peccat. meritis & remiss. lib. 1. cap. 28.

Idem de ciuit Dei, lib. 21. cap. 25.

De animarum verò apparitionibus post mortem, quid sentis?

Iis magna ex parte confirmatus est hic Ethnicus, de Purgatorio, errore: quod notum est ex Gregorij Papæ, eius nominis primi, Dialogorum lib. 4. cap. 40. Vbi de Pascasio: Cap. 51. Vbi de Moniali seminstulata fabulatur. Sicut & ibidem cap. 55. Similibus fabu-

fabulis & apparitionibus probare conatur, oblatione Cœna Dominica, eiusmodi Purgatorij pœnis liberari defunctorum spiritus.

Luc. 16. Non solùm negatur diuiti Epulani obnixè hoc ipsum petenti, vt vel Lazari, vel alterius cuiusdam defuncti anima, in domum patris, ad fratres suos mittatur: sed omninò etiam hoc impossibile esse asseritur. Et frustra hoc ipsum fieri, Abraham testatur.

Adhæc grauissimè à Deo interdictum est, ne à mortuis quæratur veritas, sicut nec à Pythonibus aut diuinis: quia, inquit, hæc omnia abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit Chananæos in introitu tuo. Deut. 18.

Isa. 8. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis ne ad mortuos? Ad legem magis, & ad testimonium. Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

De consummatione siue fine seculi.

Proba Scripturæ testimonijs, futurum esse mundi finem.

Sicut initium habuit. Genes. 1. Ita finem quoq; habiturum præditum est. Dauid

inquit, Psalm. 102. Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent: & sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur.

Isa. 51. Cœli sicut fumus liquescent.

1. Pet. 3. Rerum omnium finis imminet.

2. Pet. 3. At, qui nunc sunt cœli, & terra, eiusdem sermone repositi sunt, & seruantur igni, in diem iudicij, & perditionem impiorum hominum. Aduenietautem dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transient: Elementa verò calore soluentur: Terra autem, & omnia, quæ in ea sunt opera, exurentur. Matth. 24. Saluator inquit: Cœlum & terra transibunt: Verba autem mea non transibunt.

Quando futurus est finis mundi?

Matth. 24. De hoc Christus à discipulis interrogatus, respondit: De die autem illa, & hora, nemo scit, neq; Angeli cœlorũ, nisi solus pater cœlestis, qui hoc sibi reseruauit, suaq; potestati & maiestati. Sicut à resurrectione denuò hoc ipsum, Apostolis solicitè quærentibus, respondit: Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Act. 1.

Sed

Sed cur Deus voluit nos ignorare suum aduentum, finemque mundi?

Quia sic placuit. Et tamen à Christo redditur ratio, quæ est, vt simus vigilantiores, ne securi fiamus, quòd futurum erat, si certi essemus, moram ipsum esse facturum, sumpta similitudine à seruis, sui Domini reditum expectantibus. Matth. 24. Luc. 12.

An'ne igitur prorsus nihil de Mundi fine, & aduentu Filij Dei scire possumus?

Nec nihil, nec omnia. Certum annum aut annorum numerum definire non possumus, imò ne certum quidem & definitum tempus. Sicut multi inutiliter & infœliciter in hoc argumenti genere laborauerunt. Et tamen aliquid Christus & Apostoli prædixerunt, videlicet, signa quædam, in oculos incurrentia præcessura, vnde pijs colligere promptum sit, Mundi finem instare.

Quæ signa mundi finem præcedent?

Plurima in cœlo, terra, mari & hominibus. Sicut Christus & Apostoli prædixerunt. Christus Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21. multa recensет.

Recenſet autem ferè hæc: falſos Doctores, errores, ſectas, diſſidia de doctrina Religionis: bella & rumores bellorum, motus regnorum huius mundi: perſecutiones piorum, prodigia in cœlo, terræ motus, inundationes aquarum, famem, vnde homines contabeſcant, ſecuritatem ingentem & horrendam: Verbi ſui contemptum Epicuræum, defectionem & Apoſtaſiam à fide in potiſſima hominum multitudine, curam & ſollicitudinem victus, auaritiam, refrigeſcentiam Charitatis apud multos, amorem ſuiipſius, preſſuram gentium & populorum, malitiæ & nequitiæ incrementum, reuelationem Antichriſti, &c.

Quomodo Chriſtiani ſe ad Mundi conſummationem præparare debent?

Hoc Chriſtus, dulciſſimus noſter Saluator docet, cùm præcipit, vt caueamus, ne corda
Luc. 22. *noſtra grauentur crapula, ebrietate, & curis huius vitæ. Caueamus item ab omni auaritia. Sed contrà vigilemus, & ſobrij ſimus, & oremus omni tempore, et in procinctu ſtemus, lumbos noſtros accinctos, lampades habentes*
Ibid. 12. *accenſas in manibus, ſimiles ſeruis expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs.*

nuptijs. Vt digni habeamur, fugere ista omnia, quæ ventura sunt, & stare ante Filium hominis. Item, attollamus capita nostra, quia appropinquat redemptio nostra.

Quomodo veniet finis Mundi?

Veniet dies Domini, sicut fur in nocte. Et futura est mundi consummatio repentè ex improuiso, præter opinionem & expectationem ingentis multitudinis. Cùm dixerint, pax & securitas, repentinus superueniet interitus, in ictu oculi. Sicut sulphur & ignis decidit super Sodomam & Gomorrham: & sicut in diebus Noah, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsq; in diem, qua Noah intrauit in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Luc. 17.

Etsi enim, vt dictum est, signa sint præcessura: tamen pauci illis mouebuntur. Ingens verò multitudo contemnet illa.

Quomodo futura est mundi consummatio?

Igne peribit. Id Petrus his verbis docet: Cœli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt igni, reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

Aduenietautem dies Domini ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſient. Elementa verò calore ligneſcent. Terra autem & omnia, quæ in ipſa ſunt, opera exurentur.

Quid poſt futurum ſit

Cœlos nouos & terram nouam Dominum Deum noſtrum creaturum eſſe, teſtatur Iſaias. Et repetit Apoſtolus. 2. Pet. 2. Vbi de cœlorum immutatione & renouatione loquitur. Quæ qualia ſint futura in nouiſſimo die, Scriptura ſacra non exprimit, neque nobis in hac vita ſcitu eſt neceſſarium.

De mortuorum reſurrectione.

CErtum eſt futuram eſſe mortuorum reſurrectionem, quia Deus ita decreuit & prædixit.

Recita teſtimonia Prophetica & Apoſtolica.

Iob. 19. Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem ego viſurus ſum mihi. Et oculi mei conſpecturi ſunt, ego et nõ alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Iſa. 26.

Isa. 26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus. Dan. 12. Et multi de his, qui dormiunt in terra pulueris, euigilabunt, alij in vitam aternam, alij in opprobrium, vt videant semper.

Ioan. 5. Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Vide plura. Ioh. 11.

Sedes huius argumenti, est 1. Cor. 15. cap. vbi ex professo hæc materia ab Apostolo est tractata, & multis rationibus confirmata.

Quid est mortuorum Resurrectio?

Est opus Dei, quod in nouissimo die exercebit, cum omnes homines corporibus suis ad vitam & immortalitatem resuscitabit: ac pios & iustos perpetua gloria & beatitudine ornabit: incredulos verò, ad perpetuos cruciatus damnabit.

Quando futura est?

In nouissimo die & consummatione seculi. Ioh. 19. In nouissimo die de terra resurrecturus sum. Ioh. 6. Hæc est voluntas Patris mei,

qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Quomodo futura est Resurrectio?

Voce filij Dei, cùm illuxerit extremus dies, subitò & ex improuiso Christus ea forma visibili hominis, qua ascendit in cœlos, in nubibus veniet, cum Angelis, & sanctis millibus suis, cum hortatu & voce Archangeli, ac tu-

Act. 1.

1. Thess. 4. *ba Dei, vbi ad vocem ipsius resurgent mortui omnes incorrupti.*

Quos verò viuos reperierit in suo aduentu, immutabuntur in momento & ictu oculi. Iuxta Scripturæ sacræ testimonia: Omnes

Ioan. 5. *qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent: & mittet filius hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, &c.*

1. Thess. 4. *Et Apostolus: Nos, qui viuimus, & qui residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur,*

simul

simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra: & sic semper cum Domino erimus. Fiet autem id in momento, & in ictu oculi, in can- 1. Cor. 15.
tu tuba.

Qui nam resurgent?

Omnes, qui à condito Mundo, vsq; ad eius finem mortui sunt, non solùm boni, verùm etiam mali, sorte tamen inaquali. Ioh. 5. Nam qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui mala, in resurrectionẽ iudicij. Matt. 25. Congregabuntur ante eum omnes Gentes.

Actor. 24. Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum.

Quid resurget?

Id quod cecidit, hoc est, caro, vel corpus, quod in cineres & puluerem, quocunque modo, est redactum, corruptum, computruit, hoc resuscitabitur. Rursus pelle mea circundabor, inquit Iob, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt: ego, & non alius, &c. Idem ergò numero corpus est, & eadem caro, & quæ sepelitur, & quæ resurget.

get. Et Apostolus testatur: Seminatur corpus animale, & resurget corpus spirituale.

Est'ne autem hoc possibile?

Deo perfacile est. Si enim totum mundum ex nihilo creare potuit: quî non etiam, & quidem multò magis, resuscitare id, quod fuit antea, possit? Plus enim est creare, quàm resuscitare.

Ibi tùm anima & corpus coniungentur & vnientur, vt sit futurus integer & totus homo, habens priorem suam carnem & animã, sed incorruptibilia. Et sic tota hominis substantia integra erit in Resurrectione.

Sed quid de ijs fiet, quos nouissimus dies deprehendet viuos?

1. Cor. 15. Paulus respondet: Ecce, inquit, mysterium dico vobis, non omnes quidem dormiemus: omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam.

Et hi vocantur viui, quos aduentus Domini deprehendet viuos. Hos immutandos docet Apostolus, quam immutationem quidam vice & loco mortis futuram existimant.

Quibus

Quibus corporibus resurgent?

Suis, quæ antea habuerunt in vita, quoad substantiam. Iob. 19. sed mutatis proprietatibus. Sunt enim iam corpora animalia: surgent autem, & erunt corpora spiritualia, hoc est, proprietates habebunt Spiritus. Ac non amplius indigebunt cibo, potu, nutritione, somno, &c. sed erunt sicut Angeli Dei. Matt. 19. celeritate, agilitate, subtilitate, &c.

Qualia corpora habebunt?

Gloriosa, incorruptibilia, potentia, agilia, subtilia, spiritualia, cœlestia, &c. Dan. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Non ergò erunt terrena, aut animalia corpora.

1. *Cor. 15. Seminatur in corruptione, resurget in incorruptibilitate, seminatur in ignominia, resurget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute vel potentia, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

Philip. 3. Transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso.

Quid

Quid de impiorum corporibus?

Resurgent & illa, & erunt incorruptibilia: sed nulla gloria, verùm ignominia afficientur, vasa comparata in contumeliam. Mortem quærunt, sed mors fugiet ab eis, vt cruciatus sustineant perpetuos. Quia enim non sola anima, sed in corpore, & per corpus peccauit, & desideria carnis perpetrauit: ideò totus homo, anima & corpore, cruciabitur perpetuò.

Quis est finis Resurrectionis?

Vt omnes sistantur coram tribunali Christi, & recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. 2. Corinth. 5.

Et ita reprobis occasio erit damnationis: pijs autem, & credentibus, salutis occasio.

Effectus Resurrectionis qui?

Immortalitas. Gloria filiorum Dei. Sap. 5. Iusti accipient Regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini. Consuetudo & conuersatio cum Deo. Psal. 116. Ambulabo coram Domino, in terra viuentium.

Lætitia & gaudium æternum, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis

minis non descendit, Coronam accipient gloria immarcessibilem.

Cognata.

Enoch & Helias cum corporibus suis vivi in cœlum translati. Similiter & corpus Mosi post mortem immutatum: sicut cum corpore suo in monte Thabor apparet in gloria. Et resuscitati à Prophetis, Christo, & Apostolis, ad hanc vitam, licet his denuò moriendum fuerit. Item, qui cum Christo in die Paschatis resurrexerunt ad beatam & immortalem vitam. Matth. 27.

Contraria.

Sadducæi apud Iudæos, mortuorum resurrectionem negantes.

Similiter & Epicurei, qui rident hanc de Resurrectione doctrinam, eamq; fabulosam esse opinantur. Act. 17. Athenienses.

Quales circa Mundi finem multos fore, Apostolus Petrus prædixit. Item, tantùm de spirituali resurrectione animæ, Articulum hunc fidei intelligere. Quemadmodum Hymenæus & Philetus, dicentes Resurrectionem iam factam esse. 2. Pet. 3. 1. Cor. 15. 2. Tim. 2.

Item Mahometistæ, qui Epicurei, somniant

mniant & fingunt corporis voluptates in altero seculo.

Item, fingere in cœlo locum Physicum, & in eo sessiones ac anculationes. Et corpori Christi glorioso Physicam in cœlo locationem ascribere. Vbi tamen sicut non est tempus, nec erit: ita nec locus. Nec enim Physica amplius erunt corpora, sed spiritualia. Ideò non locus erit in cœlo Physicus.

De extremo Iudicio.

Fore Iudicium extremum vniuersale, Vnde, & quomodo probas?

Sacræ Scripturæ testimonijs, quibus est hoc proditum.

Recita testimonia Scripturæ?

Matth. 25. Totus ille actus iudicialis describitur: Qui Iudex sit futurus, quomodo, pompa & maiestate sit venturus, quos, & quomodo iudicaturus, &c.

Quid est extremum Iudicium?

Est actus iudicialis, quem Christus exercebit in nouissimo die, statim, & immediatè à mortuorum Resurrectione, qua, cum magna maiestate & gloria aduenit, iaturus sen-

sententiam toti humano generi: & alios quidem in vitam æternam recipiet, alios verò in infernũ præcipitabit, & igni inextinguibili adiudicabit.

Quis est futurus Iudex?

Christus, Dei Patris, & Mariæ filius. Iohan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne Iudicium Filio dedit. Et potestatem ei dedit Iudicium facere: quia filius hominis est. Cùm enim visibile sit futurum Iudicium, Iudicem quoq; visibilem esse necesse est.

Qui sunt iudicandi?

Dicitur Christus Iudex viuorum & mortuorum, sicut & in Symbolo Apostolorum habetur: Viuorum, hoc est, eorum, quos in suo aduentu viuos reperiet in hoc Mundo. Mortuorum, quicunq; hinc à mundi origine vsq; hac defuncti sunt, ante nouissimum diem, à morte resuscitati, vnâ cum iis, qui in aduentu ipsius viui reperti, immutabuntur. Hi, inquam, omnes sistentur coram ipsius tribunali. Sicut Actor. 10. habetur: Ipse est, qui à Deo est constitutus Iudex viuorum & mortuorum.

2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet

ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

Epistola Iudæ. 2. Pet. 2.

Quin etiam Angeli mali, qui non seruarũt suam originem, sed domicilium suum reliquerunt, ad Iudicium magni illius diei, vinculis æternis, sub caligine seruati sunt.

Nec vllus erit personarum respectus in hoc Iudicio. 1. Pet. 1. Patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat, secundum vniuscuiusq; opus.

Secundum quam Legem, sententiam laturus est Christus iudex?

Iuxta suum ipsius Euangelium, vt, qui in ipsum verè crediderit, saluetur: qui verò non crediderit, condemnetur.

Ioh. 12. Si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim veni, vt iudicem Mundum, sed vt seruem Mundum. Qui reijcit me, nec recipit verba mea, habet, qui iudicet ipsum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die.

Quæ erit formula sententiæ?

Iohan. 3. descripta est, & ab ipso Iudice Chri-

Christo concepta his verbis: *Vt omnis, qui credit in eum (Filium Dei) non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est.*

Qualis erit executio huius Iudicij?

Et ibunt qui mala egerunt, damnati sententia iudicis iustissimi, in ignem & supplicium aeternum, vbi erit ploratus & stridor dentium. Tunc plorabunt omnes Gentes terrae, damnati scilicet, ex omnibus Gentibus. Iusti autem, qui bona egerunt, in vitam aeternam.

Qui erunt fines huius Iudicij?

Vt reddatur vnicuique secundum opera sua. Matth. 16. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique, SECVNDVM opera eius.

2. *Vt liberentur & redimantur pij ex omnibus malis. Iuxta illud Christi: Attollite capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. Tunc & creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei.* Luc. 12. Rom. 8.

1. Cor. 15. 3. *Vt Christus aboleat omnem principatum, potestatem, & hostem nouissimum, mortem scilicet. Accradat Regnum Deo & Patri: ac subijciatur ei, qui illi subiecit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.*

Actor. 3. Ephes. 1. 4. *Vt restituantur & instaurentur omnia per Christum, siue quæ in cœlis, siue quæ in terra sunt.*

Cur opus est hoc Iudicio?

Vt dignis præmijs & pœnis afficiantur pij & impij, quod in hoc Mundo non fit. Etsi enim Deus interdum sceleratos quosdam ad supplicia retrahat, vt exempla statuat, & pios quosdam remuneret: tamen id non fit vniuersaliter, sed differt Deus potissima præmia & pœnas in alteram vitam, & Iudicium hoc vltimum Cameræ suæ, & Comitiorum vniuersalium totius Mundi.

Quæ sunt contraria?

Impiæ opiniones, ac Epicuræa securitas, negantium vel contemnentium illud Iudicium, de quibus. 2. Pet. 3.

Quomodo nos ad Iudicium illud præparare debemus?

Perpetuò in timore Domini viuamus, vigilemus, & oremus omni tempore, abne-

gan-

gantes secularia desideria, piè & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, et Tit. 2.
aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris Luc. 21.
nostri Iesu Christi, vt digni habeamur fugere ista omnia, quæ uentura sunt, & stare ante filium hominis.

De Inferno.

Quæ sunt appellationes?

Dicitur Gehenna, quæ fuit vallis filiorum Hinnon, in qua uiui cremabantur filij Iudæorum Idolo Moloch, sita in tribu Beniamin. Hinc pro igni, loco, & tormentis damnatorum accipitur.

Præterea, Inferi, terra tenebrosa, & miseriæ tenebrarum. Iob. 10. Caminus ignis, ignis inextinguibilis, Tenebræ exteriores, Abyssus, Tartarus, Inferni, stagnum igne & sulphure ardens, &c. Vbi est ploratus & stridor dentium, sumptis vocabulis à rebus & pœnis huius Mundi, & præsentis seculi.

Esse Infernum, hoc est, locum & pœnas damnatorum.

Id sacra Scriptura testatur, quæ de supplicijs damnatorum perpetuis docet. Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad Inferni nouissima.

Sed clariora sunt testimonia Noui Testamenti. Matth. 5. Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit Gehennæ ignis.

Ibid. 25. Inutilem seruum proijcite in tenebras exteriores, ibiè erit fletus & stridor dentium. Ibid. dicit: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.

Vbi est vel erit Infernus?

Vbi Infernus, seu locus damnatorum sit futurus, nec Christus, nec Apostoli, nec vspiam sacra Scriptura, quod ego quidem sciam, tradidêre. Nec tamen existimandum est, damnatos non cruciandos esse perpetuò, quòd ipsum eadem Scriptura passim inculcat, etiamsi loci propriè mentio non fiat.

Deus id curabit, de quo nos solicitos esse non oportet: sed hoc demus operam, vt pietate nostra caueamus, ne aliquando experiamur. Chrysost. Et vbi, inquit, & in quo loco erit ipsa Gehenna? Quid illud curas?

Qua-

Quæstio siquidem est, vt ostendatur, QVOD SIT, & NON, VBI sit recondita. Et quo in loco, inquis, erit? Alicubi quantum ego puto, extra omnem hunc Mundum. Quemadmodum enim Regum carceres & Metalla porrò distant: ita alicubi extra hunc orbem erit Gehenna. Ne quæramus igitur, vbi sit, sed quomodo illam sanè fugiamus. Neque propterea de futuris fidem Deus non seruabit, quòd hîc non omnes punit. In Epistolam ad Rom. Homil. 31.

Qui sunt & erunt cruciatus, ac pœnæ damnatorum in Inferno?

Erunt multiplices & inenarrabiles, imò planè in hac vita, propter sui magnitudinem incomprehensibiles. Quemadmodum enim oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis descendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, in vita æterna: ita nec etiam cruciatuum & pœnarum magnitudo, in hac vita, intelligi, nedum verbis exprimi potest.

Qui nam in Inferno futuri?

Vno verbo, INCREDVLI. Iohan. 3.

Qui non credit in Filium, iam iudicatus est. Item: Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet supra illum: Homines & Diaboli, Matth. 25. Paratum ignem aternum affirmat Christus maledictis, Diabolis & Angelis eius.

Erunt ne damnati corpore & anima in Inferno?

Vtique, Matth. 10. dicit Christus: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò occidere nõ possunt. Timete potius eum, qui potest animam & corpus perdere in Gehennam.

Erunt ne gradus etiam supplicio-rum in Inferno?

Maximè, secundum multitudinem & magnitudinem peccatorum. Sap. 11. Per quæ
Sap. 6. *quis peccat, per ea & punitur. Item: Potenta potenter tormenta patientur.*

Matth. 11. Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij quàm tibi. Item ibid. Terræ Sodomorum tolerabilius erit, quàm tibi in die Iudicij. Matth. 23. Hypocritis dicit Christus: Propter hoc amplius iudicium accipietis.

Erunt-

Erunt ne pœnæ inferni perpetuæ?

Dan. 12. Euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant SEMPER.

Matth. 25. Dicit Christus his, qui à sinistris: Ite maledicti in ignem ÆTERNVM, qui paratus est Diabolis & Angelis ipsius.

Sed quomodo corpora in igne durare perpetuò poterunt?

Curiosum est hoc quærere, cùm Deus id pronunciarit. Nec erunt corpora Physica, nec ignis elementaris: sed habebunt corpora spiritualia & incorruptibilia, etiam damnati, quæ Deus potest & vult ita sustentare.

Quomodo cauendus infernus?

Vera animi pietate, & pœnitentia perpetua. Matth. 3. Baptista dicit: Agite pœnitentiam, &c.

Chrysost. Et vtinam in tabernis vinarijs, reliquisq; commessationibus, & balneis, imò & vbiq; de Gehenna disputaretur. Non enim sinet in Gehennam incidere, Gehennæ meminisse. Propter hoc ipsum quippe illam & parauit, & minatus est, ne in eam incidamus, timore ipsius meliores facti. In Epistolā ad Ro. Homil. 13.

De vita æterna.

Esse & restare aliam, veram, & beatam & perpetuam vitam, post hanc caducam, ærumnosam & mortalem.

PRobatur Scriptura sacra testimonijs. Recit. aliquot:

Daniel. 12. Qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in VITAM ÆTERNAM, alij in opprobrium, vt videant semper. Matth. 25. Ibunt iusti in VITAM ÆTERNAM. Ioh. 10. Ego VITAM ÆTERNAM do eis.

Cur necesse est aliam restare foelicem vitam?

Quia in hoc mundo pij, qui multa bona fecerunt, & mala multa sunt perpessi, præmia suis laboribus digna non reportârunt: nec etiam mali dignas suis peccatis & scelcribus pœnas. Ideo aliam vitam restare necesse est, in qua boni præmijs ornentur, mali verò pœnis meritis afficiantur, cùm neutrum in hac vita fiat. Reseruantur enim potissima præmia & pœna, in alteram vitam.

Qua

Quæ sunt appellationes vitæ æternæ?

Beatitudo, salus, Regnum Patris, Regnum cœlorum, Regnum Dei, sinus Abrahæ, paradisus, æterna tabernacula, domus Patris, regnum æternum & cœleste, nouum cœlum, & terra noua, sancta ciuitas, vita æterna.

Cur æterna dicitur?

Quia in perpetuum sine fine durabit. Omne tempus in die nouissima, vnâ cum mundo cessabit, & incipiet nobis perpetuitas.

Quid est vita æterna?

Est opus diuinum, qua Deus resuscitatis restituet suam imaginem amissam, perfectè, eosq; in suo regno cœlesti ornabit beatitudine, iustitia, gloria: vt videant ipsum à facie ad faciem, similesq; ei sint, & perpetuò ab ipso, qui erit omnia in omnibus, sustententur, ac fruantur ibi lætitia inenarrabili, ei obtemperent, & in perpetuum celebrent.

Quis author est illius, & vnde prouenit?

Deus, ex mera gratia, & bonitate, eam, per & propter Christum, eiusq; solius meritum, redentibus donabit.

Matth. 25. Tunc dicet Rex his, qui à dextris sunt: Venite benedicti patris mei, hæreditate possidete regnum paratum vobis à con-

à constitutione mundi, Rom. 5. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt, per vnum Iesum Christum.

Ibid. cap. 6. Stipendium peccati MORS: GRATIA autem Dei, VITA ÆTERNA in Christo Iesu Domino nostro.

Ad quos pertinet, & quibus dabitur vita æterna?

Ad omnes & singulos, ex quibuscunq; nationibus et populis, quocunque tempore vixerint, qui verè in Christum crediderint.

Probat.

Ioh. 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam. Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Matth. & Marc. vlt. Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.

1. Pet. 1. Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

In quo consistit vita æterna, & quid in ea futurum est?

Erit summa beatitudo & felicitas, ac vita ipsa æterna. COGNITIO Dei perfecta:

cta: & vt Patres locuti sunt. VISIO Dei, qui erit omnia in omnibus. Qua perfectio dicitur participatio diuinæ naturæ, sapientia, iustitia, imago Dei restituta, gaudium perpetuum hominum, tale, in quo Deus ab æterno, & postea cum Angelis beatis, qui perpetuò vident faciem eius, vixit, viuit: Quod Spiritus sanctus in Electis excitabit & curabit, eosq; ea ita perfundet, vt de re nulla alia sint cogitaturi.

Huc accedet & corporum clarificatio, quæ reddet similia corpori Christi glorioso, ac lucebunt corpora sanctorum, sicut splendor firmamenti, eruntq; sicut Angeli Dei.

Qui erunt effectus, seu bona, & commoda vitæ æternæ?

Peccati omnimoda abolitio, & carentia, & iustitia sempiterna: immunitas à morte, & omnibus malis, molestijs, & calamitatibus, obliuio malorum omnium, liberatio à tyrannide Diaboli, & inferno: immortalitas, gloria, claritas, glorificatio, frui consuetudine DEI, Angelorum, & omnium beatorum, cum gaudio æterno: vita Angelica, sanctitas, beatitudo, felicitas, similitudo cum DEO & CHRISTO, eiusq; imagine, immortalitate,

tate: incorruptibilitas: remanere cum Christo perpetuò: hereditatem capere regni cœlorum: & coheredes esse Christi.

Quæ finalis causa vitæ æternæ?

1. Vt Deus gratiam & fauorem suum erga electos declaret, & reipsa comprobet.

2. Vt etiam fructus passionis Christi, ipse facto opere ostendatur.

3. Vt homo ingentia & summa Dei beneficia, in vita æterna, vberè cognita, vberè etiam celebret.

4. Vt Deus etiam pijs simul compenset labores & ærumnas, quas in vita hac sunt perpessi. Illic enim absterget omnes lachrymas ab oculis eorum.

Sunt'ne homines in vita æterna se mutuò cogniturí?

Vtique. Quia pleni Spiritu sancto, & sapientia, Deo similes. Sic Adam, dum viueret vitam animalem ante lapsum, adhuc retinens Dei imaginem, ad quam erat conditus, Euam, quam nunquam viderat, & dormienti, ac non sentienti, ex costa exempta fuerat, adificatam nouit, & vnde nam esset, & in quem vsum condita, nemine dicente, sciuit & agnouit.

Sic

Sic Petrus, & reliqui discipuli, in monte Thabor, cùm gustum tantùm quendam vitæ æternæ perciperent, in mortali adhuc existentes corpore peccati, Mosen & Heliam, quos nunquam viderant, agnouerunt.

FINIS.